De particula *ut* simplici et copulata.

Commentatio,

cujus partem priorem

permissu amplissimi philosophorum ordinis

p. p.

Fred. Em. Braune,
Mag. Doc., Ad bibl. univers. aman. e. o.

In auditorio primo

Pridie Kalendas Februarias

H. A. M. IX.

Lundae,
Typis Berlingianis,
MDCCCLXVI.

Lingua, qua hominum sensa, cogitata, voluntates exprimuntur, ut mutatis paullatim hominum studiis, consiliis, institutis convenire possit, et ipsa semper commutetur necesse est suisque adolescat incrementis. Quae quidem linguae commutatio, cujus causam constat non totam in mutato gentium cultu positam esse, sed etiam in multis aliis rebus contineri, tum demum retardari solet et certis terminis circumscribi, quum litterarum illustrari studiis lingua coepta est et ornari monumentis. Nam illa litterarum monumenta, dum ad eorum similitudinem posteri quoque, in libris scribendis versantes, proxime accedere student et eorum scribendi genus sibi ad imitandum proponunt, etiam ad quotidianam hominum loquendi consuetudinem certis legibus adstringendam aliquantum valent, quae nisi ad eandem regulam, ad quam scriptorum dicendi genus, et ipsa quodammodo dirigitur, in agrestis et inquinati sermonis barbariem delabitur. Quare, etsi ne ita quidem efficitur, ut illa omnium rerum humanarum vicissitudine lingua eximatur, tamen fit, ut nisi sensim et paullatim jam non commutetur neque in multa eaque magis in dies inter se diversa linguae genera vel dialectos abeat. Atque Latina quidem lingua qualis fuerit quibusque mutationibus obnoxia, ab eo demum tempore penitus perspici planeque cognosci potest, quo litterarum et artium studia Romam sunt importata, id quod sero factum esse nemo ignorat. Quamquam jam priusquam optimarum artium studiis incensi sunt Romani, nonnulla, quae etiamnunc extant, Latinis litteris sunt mandata. Itaque et partes quaedam veterum legum Romanarum atque sacro-

rum carminum et inscriptiones aliquot antiquissimae sunt ad nostram aetatem servatae, ex quibus, quamvis sint non integrae et temporum iniquitate corruptae, aliquam priscae linguae latinae imaginem animo concipere possimus. Sic et nobis judicare licet, quanta inter illarum asperitatem et proximorum temporum limatum et politum dicendi genus intercesserit diversitas, quae quidem tam magna fuit, ut Romani homines, litterarum latinarum vel peritissimi, permulta ipsi non satis accurate interpretari possent. [1]) Accedit, quod his temporibus ii docti viri, qui linguas inter se artiore cognationis vinculo junctas comparare instituerunt, etiam Latinae grammaticae elementis multum lucis attulerunt. At ita flectendorum verborum modi atque formae a quibus initiis profecti quibusque mutationibus novati sint, perspici potest: jungendorum vel verborum vel enuntiationum modi quibus obnoxii fuerint mutationibus, non item. Nam antiquissima illa latinae linguae monumenta non solum pauca atque exigua sunt, sed etiam mirum in modum incondita et horrida, ut tamen rerum exilitati accommodata sit verborum compositio. Praeterea, ut rara, ita tantis temporum intervallis sunt inter se disjuncta, ut de illa, quam paullo ante dixi, grammaticae latinae parte ex iis aut nihil aut certe non multum cognosci possit. Quocirca si quis accuratius investigare voluerit, quae quoque tempore viguerint sententiarum jungendarum rationes, facile concedet, ex illis, de quibus dixi, monumentis nihil aliud effici posse, nisi ut fuerit etiam Latinae linguae quaedam quasi infantia, quae quam longe a sequentium temporum elegantia abfuerit, maxime in ipsa conjunctione sententiarum laxa vel potius nulla cernatur. Neque comparatio illa linguarum, quamvis ad complures alias grammaticae partes explanandas sit fructuosa, ad illustrandam eam de qua quaerimus, enuntiationum apud priscos Romanos jungendarum rationem multum valet. Nam quod hic fortasse occurrit, Graecam linguam, quum ita excoli coepta esset Latina, ut ad artium et litterarum studia satis fieret apta et perpolita, in hac conformanda atque certis legibus adstringenda magnam vim habuisse atque fuisse quoddam quasi exemplar, quod intuens in eoque defixus optimus quisque scriptor Latinus suum dicendi genus limaret, id ad priscorum temporum loquendi usum non pertinuit. Tametsi, quoniam inter Graecam lin-

---

[1]) Varro L. L. VII. 2. Aelii hominis in primo in literis Latinis exercitati interpretationem carminum Saliorum videbis et exili litera expeditam et praeterita obscura multa.

guam atque Latinam, quippe quae a communi quodam principio et, ut ita dicam, fonte proxime absint, artissima intercedit cognatio et propinquitas, fieri non potest, quin jam antiquissimis temporibus iis, quibus usi sunt Latini, enuntiationum colligandarum modis cum iis, quibus Graeci, aliqua fuerit similitudo atque convenientia.

Sed haec ut praediceremus, ipsius rei, de qua quaerendum erat, natura adducti sumus. Nam quum id nobis eligendum esset, in quo accuratius investigando tantum, quantum per temporis angustias liceret, studii et laboris collocaremus, particula illa Latinorum, quae est *ut*, quum ejus inter omnes latissime pateret usus, maxime et digna et idonea visa est, quae quam multas quamque diversas significationes recepisset, studiose inquireretur. Atqui quum in jungendis vel verbis vel enuntiationibus maxime fere particularum cernantur proprietates, tum haud scio an ad hanc ipsam particulam, de qua nobis instituenda est disputatio, id praecipue pertineat. Quod si investigare statuerimus, quibus paullatim incrementis illius particulae usus quasi adoleverit excultusque sit, qui fieri potuerit, ut alia ex alia manaret significatio, quae prima atque principalis vis fuerit, quibus rebus factum sit, ut idem significans particula alia aetate cum aliis verborum formis componeretur — quae omnia quis est qui neget ad eam rem in qua versamur accuratius tractandam magni interesse ut penitus perspiciantur — sed si illa quae dixi investigare statuerimus, iis, de quibus paullo ante disputavimus, caussis efficitur, ut ea inde ab prima linguae latinae aetate non possimus persequi. Quam ob rem contenti erimus ad eorum temporum loquendi usum, quibus jam lingua literarum et artium exornata erat monumentis, in hac disputatione nostra attendisse. Hoc igitur nobis proponimus, ut inde ab iis temporibus, quibus primi scriptores Latini exstiterint, ab Plauti Enniique aetate, quibus usus particulae quae est *ut* obnoxia fuerit mutationibus, ita persequamur, ut etiam, quibus ea aetate qua maxima eloquentiae et doctrinae laude floreret Roma, circumscriptus fuerit terminis, definiamus. Enimvero, quum per temporis angustias nobis non licuerit, etiam in posteriorum scriptorum loquendi usum inquirere, ultra Taciti, Quintiliani, Juvenalis tempora in hac disquisitione non progrediemur.

Jam ne quis ignoret, qua potissimum ratione adducti hanc particulam tractare constituerimus, ea adeo non est doctorum hominum studiis examinata et illustrata, ut quantulumcumque ipsi conferre potuerimus, operae pretium

facturi esse videamur. Handius quidem, qui eo libro qui inscriptus est Tursellinus de particulis latinis copiose et accurate disserere instituit, postquam vix plus quam dimidiam suscepti operis partem absolvit, immatura morte est exstinctus. Alii [2], qui de particulae *ut* vi et usu disseruerunt, aut alias res tractantes in hanc inciderunt neque totam eam sibi accuratius exponendam putaverunt, aut singuli de singulis particulae significationibus egerunt. Quod quum ita sit, quisquis, ut ad gravissimam illam particularum doctrinam novis incrementis adaugendam aliquid adjuvet, in illius particulae vi excutienda omnem operam et studium collocaverit, etsi non tantum profecerit quantum voluerit, tamen non inutilis nec irritus labor ejus videtur fore. Quum autem de particula *ut* nobis agendum esset et particulas non paucas illa cum alio vocabulo in unam vocem conflata esse exortas et cum ea significationis atque usus necessitudine contineri videremus, huic de simplici particula disputationi perbrevem de copulata inquisitionem adjungere haud alienum putavimus.

Etiam si quis vim et usum cujuslibet vocis leviter adspicit, hoc quidem ei lucide apparet, ut, quibus rationibus illa vox usurpari possit, et unde natae sint ejus significationes, satis planum fieri possit, primum omnium, quae ejus fuerit origo, quae prima et principalis forma, inquirendum esse. Quamobrem etiam nos, antequam ad rem propositam transeamus, brevem de particulae *ut* origine et quasi figura disputationem instituere conabimur.

Atque superiores, qui in latina lingua investiganda sunt versati, quum

---

[2]) Ut alios omittam, Wunderus in Jahnii Annalibus (1827) quum de Orationis pro Sextio editione Mülleriana judicium faceret, etiam de particulae *ut* usu nonnihil disseruit, Lindauius (Die Partikeln *ut quod* und die Construction des Accusativs mit d. Infinitiv. Halle 1831) cum illa particulam, quae est *quod*, comparavit et quid inter eas et accusativum cum infinitivo junctum interesset, explanare conatus est, Grysarius in Zeitschrift f. d. Oesterr. Gymn. 1856 p. 336 sq. de epexegetico particulae usu ita egit, ut etiam de *ut* post tales loquendi formulas posito, quales sunt verum est, verisimile est cet. brevem adnecteret disputationem, Kraatzius in progr. gymnas. Stuttgart. 1862 de particulae ut in interrogationibus indignantium usu verba fecit, Hoffmannus in libello "Die latein. Zeitpartikeln (Wien 1860) etiam de *ut* in temporis notatione usurpato nonnihil attulit, Meiringius in "Erörterungen zur latein. Grammatik" (Bonn 1859) spinosam, ut solet, particulae *ut* cum *quod* comparationem instituit. Unus, quantum scio, Gernhardus exstitit, qui omnia particulae significationum genera et jungendi modos aliquanto copiosius explicare studeret (in Opusculis. Lips. 1836),

eam a Graeca quasi a parente quadam ita originem traxisse statuerent, ut tamen ex barbarorum linguis non pauca ei essent admixta, hanc quaestionem sibi visi sunt persolvisse, si quam arcta inter *ut* et particulam Graecorum ex relativo pronomine ὅς natam, quae est ὥς, esset cognatio, ostendissent. [3]) At quamvis magna inter ὥς et *ut* intercedat similitudo, in earum particularum significatione atque usu ea cernitur, in ipsa origine non item. Nam quum multa alia, tum etiam unde natum esset ὥς, unde *ut*, doctorum virorum, qui in linguis comparandis operam collocant, industria est patefactum. Atque, ut inter omnes Indo-Europaeas, quas vocant, linguas magna in hoc cernitur similitudo, quod verae et germanae conjunctiones fere initio adverbia fuerunt, ex aliqua radice, ut ajunt, pronominali orta, ita hac in re eae linguae inter se discedunt, quod conjunctiones, quibus eadem vis sit, non solum in linguis aliis ex aliis pronominibus flexa sunt, sed etiam alia aliam terminationem saepe receperunt. Quod quidem etiam de *ut* et ὥς dicere licet. Nam hoc jam nemo est qui infitietur ex relativo pronomine quod est ὅς originem traxisse; immo vero nunc quidem certum est et exploratum, ὥς vetustam relativi pronominis fuisse ablativi formam. Nam auferendi casus in linguis Indo-Europaeis vel Arianis antiquissimis temporibus in lingualem litteram *(t* vel *d)* exiit, qui tamen exitus, nisi in antiqua Indorum lingua (in iis nominibus, quorum radix littera *a* terminata est), in Latina antiquissima, in Osca denique non est servatus. In Graecorum autem sermone littera illa lingualis aut tota excidit (id quod etiam in Umbrorum lingua factum esse constat) aut in iis vocabulis, quae quum vel ab adjectivis vel ab pronominibus flexa essent, ipsa adverbiorum vim induerant, in sibilantem litteram *(s)* mutata est. Quod quidem apud Graecos saepe factum esse, ut in verborum exitu *t* in *s* converteretur, quis est quin sciat (*προτι* in *προς* transiit, *τετυφοτ* in *τετυφος*). Atqui pronomen Graecorum relativum ὅς, a quo ὥς originem traxit, cum relativo pronomine Sanscritico quod est y a s arctissima cognatione junctum est et ipsius ὥς eadem fere est conformatio significatioque atque particulae sanscriticae yât [4]), sed *ut*

---

[3]) Etiam Hartungius (Ueber die Casus p. 271 sq.) et Haaseus (adn. 482 ad Reisigii Scholas) particulae *ut* originem a pronomine aliquo *us* deducunt, quod ipsum statuunt esse "offenbar die äolische Form von ὅς."

[4]) Cfr. Boppii Vergleich. Grammat, §. 993. Kuhn. in Hoeferi Zeitschrift f. die Wissensch. d. Sprache II. p. 174 sq.

ac ne id quidem solum sed etiam pronomen illud *uter* atque adverbia *ubi* et *unde*, quibus eadem atque illi est origo, ex longe alia quadam radice pronominali sunt flexa. Namque et ex ejus pronominis sanscritici forma, quod idem atque latine *uter* declarat (k a t a r a s) et ex formis copulatione particularum *ne*, *si*, *num* natis *ne-cuter*, *ne-cubi*, *ne-cunde si-cubi*, *si-cunde*, *num-cubi* colligere licet, non solum *uter*, *ubi*, *unde*, sed etiam *ut*, si quidem et hoc ex eodem quasi fonte manavit, antiquitus ab palatina littera incepisse. Quod si ita fuit, quisquis in horum verborum originem inquisiturus est, de radice illa *quo* cogitet oportet, ex qua apud Latinos et relativum et interrogativum pronomen exstitit et cui in lingua sanscrita stirps illa interrogativi pronominis *ka* (vel *ki* vel *ku*) respondet. Quare statuendum est primas et principales horum verborum formas fuisse *quoter(us)*, *quobi*, *quonde*, *quoti*, et ex iis eodem fere modo, quo *quoius*, *quoi* in *cujus*, *cui* abierunt, *o* vocali intercidente et *u* semivocali germanae vocalis litterae sonum recipiente, *cuter*, *cubi*, *cunde*, *cuti* exstitisse [5]. Tum etiam palatina litera, a qua illae formae inceperunt, excidit, id quod in verbis non paucis factum videmus [6]. Quod si cui dubium nec satis exploratum visum erit, oscas formas *puturus* (ap. Latinos *uter)* et *puf* (ap. Latinos *ubi*, apud Umbros *pufe)* et umbricam particulam *pusi* vel *pusei* (ap. Latinos *uti)* inspiciat atque reputet, quae pronomina et adverbia ex his nata apud Latinos a gutturali littera inciperent, in ea fere apud Oscos et Umbros labialem *(p)* jam antiquissimis temporibus irrepsisse [7].

Jam, si ex qua radice pronominali *uti* flexum esset, satis est explicatum, sequitur ut inquiramus, qua addita accessione vel suffixo, ut ajunt, conflatum sit, et id suffixum quam vim habeat. Quod quidem ut ad hanc rem de qua

---

[5]) Simili ratione constat *sequutus, quom* in *secutus, cum* esse mutata.

[6]) Boppius haec exempla affert: kâmáyâmi, amo; gnosco, nosco; gnascor, nascor (Vergl. Gramm. §. 389); Corssenius in Kritische Beiträge p. 1. haec comparat: *κάπρος*, aper; *κόλαφος*, alapa cett. Vide etiam Schleicheri Compend. d. vergl. Gramm. p. 215.

[7]) Umbri et Osci *pis, pod,* Latini *quis, quod,* Osci *pon,* Latini *quum* habent. Eodem fere modo in Graecorum lingua *κοῖος*, *κόσος*, *κότερος*, *κῶς*, quae apud Jones in usu fuerunt, in atticorum dialecto in *ποῖος*, *πόσος*, *πότερος*, *πῶς* sunt mutata. Schoemannus in Disp. de particulae *que* origine p. 4. Factum videmus, inquit, ut, qui gutturalis et labialis elementi conjunctionem fugiebant, alterum utrum horum supprimerent et modo gutturale solum, modo autem labiale servarent, ita tamen, ut pro debiliore v fortius illud p substituerent.

quaerimus illustrandam nonnihil interest ut explanetur, ita ad explanandum est difficile. Atque hoc primum omnium satis constat, non esse ei suffixo unam semper et eandem figuram. Tres enim particulae formae sunt: *utei*, *uti*, *ut*. Ex quibus quae prima sit et principalis, in disceptationem veniat oportet. Jam si quis ex codicum manu scriptorum testimoniis eam quaestionem persolvi posse putabit, hoc perpendat, omnes eos fere recentiores esse quam ut ex iis de ratione scribendi antiquissimis temporibus usitata quidquam pro certo affirmari possit. Plus huic rei quam quaerimus lucis affertur collatis antiquis inscriptionibus, quae permultae ad nostram servatae sunt aetatem. Nam quamquam vel ex his nulla, quae quidem ad hanc quaestionem solvendam aliquid valeat, ante sexcentesimum fere urbis annum litteris est mandata, tamen etiam ea ipsa aetas ad id quod quaerimus investigandum satis est idonea. Atque ex his inscriptionibus, si eas diligentius inspicimus earumque testimonia inter se comparamus, hoc facile intelligere licet, formam illam particulae *utei* usque ad Augusti tempora longe fuisse usitatissimam, breviorem figuram *uti* usurpatam fuisse illam quidem sed multo rarius, brevissimam formam, quam decurtatam esse facile suspiceris, *ut* et ipsam nonnusquam exstare, neque tamen fere nisi in titulis versibus conscriptis, in quos propter metrum videtur esse importata. [8]) Inde ab Augusti temporibus latius in dies formae *ut* usus serpsit, ut ipsa jam exsisteret longe usitatissima vel potius multo usitatior; nam figura illa *utei* paullatim ita obsoleverat, ut pro ea semper aut *ut* aut *uti* poneretur, sed tamen haec multo quam illa forma rarior esset. [9]) Jam vero si veri simile videtur, *utei* antiquissimam esse figuram, restat, ut indagemus, quaenam inter *utei* et *uti* intercedat ratio. Num igitur credendum est *ei* in *utei* veram et germanam fuisse diphthongum et utramque vocalem, ut litterae nota, ita etiam vocis sono exprimi solitam esse? An possunt argumenta satis

---

[8]) In primo volumine Corporis Inscriptionum Latinarum a Theod. Mommsenio editi, quo volumine omnes tituli antiquissimi usque ad Caesaris tempora scripti continentur, *utei* centies quater, *uti* decies, *ut* duodecies invenitur.

[9]) Si Zellii Delectum Inscriptionum Romanarum (Heidelb. 1850) recensemus, nullam aliam formam nisi *ut* in his titulis invenimus: in Monumento Ancyrano (ter) in Oratione Claudii de civitate Gallis danda (octies), in Rescripto Vespasiani ad r. p. Vanacinorum (bis), in Epistola Domitiani de subsecivis (bis), in Edicto Diocletiani de pretiis rerum venalium (quaterdecies). Contra in his *uti* legitur, non *ut:* in Dedicatione Arae Narbonensis (a. p. C. 11) et in Lege de imperio Vespasiani (undecies).

firma afferri, cur, quae inter has formas videatur interesse differentia, eam totam in scribendi ratione positam fuisse nec vocis sonum attigisse statuamus? Quamquam non licet pro certo affirmare, remotiore tempore quam ut ex litterarum monumentis cognoscatur, non potuisse per vocalium illam in *utei* conjunctionem *ei* duarum vocalium coalescentes exprimi sonos, tamen quum jam in inscriptionibus nonnullis satis antiquis (ut in reliqu. incertae legis a. u. c. 621—636 rogatae [1]) et in Sentent. Minuc. a. u. c. 637 [2]) aut forma illa *uti* sola aut alternis fere *uti uteique* ponatur, nec ullis certis terminis aut hujus aut illius usus circumscribatur, facile adducimur, ut iis certe, de quibus compertum aliquid et exploratum haberi possit, temporibus per utramque scribendi rationem unum atque eundem vocis sonum notatum esse credamus. Est autem notissimum in permultis aliis vel verbis vel verborum formis ante Augusti tempora permutationem eandem syllabarum, quae sunt *ei* et *i*, factam esse. Atque Lucilius quidem [3]), quum ei duo inter se diversi litterae i soni, unus pinguis, alter tenuis, esse viderentur, ut ille per *ei*, hic per *i*, exprimeretur, suasisse traditur. At neque ipse indicat per pinguiorem sonum duas inter se conjungi vocales, et si quae fuit sonorum diversitas, eam haud scio an omnes fere ceteri sibi non visi sint audire. Nam tantum abfuit, ut recte scribendi, quod ille tradiderat, praeceptum hominibus probaretur et ab omnibus reciperetur, ut etiam postea quae jamdiu vigebat inconstantia retineretur nec ad ullam certam regulam dirigeretur hominum scribendi consuetudo. Atqui pro illo *i* (ei) saepissime etiam *e* littera eaque sola ponitur. Itaque pro *tibi* vel *tibei* etiam *tibe*, pro *patri* et *patrei* (in dativo) *patre* scribebant. Quam ob rem fuerunt qui statuerent [4]), nec id injuria, per *ei* medium quendam sonum, inter i et e interjectum antiquos significasse, et hunc ipsum, quum incertus esset et ambiguus, eundem et per *e* et per *i* denotari potuisse. Et ea quidem forma *ute*, quae *utei (uti)* respondere debuit, in latina lingua nusquam exstat, sed ut in Osca lingua, illi maxime cognata, decurtata verbi

---

[1]) Mommsen. Corp. Inscript. n. 197.

[2]) Ibid. n. 199.

[3]) Teste Velio Longo De Orthogr. ed. Putsch. p. 2220—21.

[4]) Vide Corssenii Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung in der lateinischen Sprache I. 238.

figura, quae est *pus*, a latinorum *ut* proxime abest, ita in Umbrica non solum *pusei* et *pusi* sed etiam *puse* invenitur [5]).

Quum i vocalis, quae quidem in antiquissima scribendi ratione pro *ei* substitui soleret, primo semper longa fuerit [6]), deinde autem in verborum exitu saepe correpta sit, tum simplex *uti* producta extrema syllaba dicitur, sed, si quod additum est suffixum (utique [7]), utinam, neutiquam) eadem syllaba nunquam non corripitur. Non prorsus in eadem causa particula ubi fuit, si quidem ipsa modo correpta, modo producta *i* vocali dicitur, sed copulata aut semper longam habet mediam syllabam (ubique), aut semper brevem (ubivis) aut denique ancipitem (ubicumque). Prima syllaba non modo in *ubi* et *uter* sed etiam in *uti* (ut) ipsa per se semper brevis est, id quod etiam idcirco memorabile est, quia semper fere alias *u* vocalis, si ab ea verbum incipit, produci solet (uber, unus, utor, uva), ut ex ea ipsa re suspicari liceat, ab initio vocabula, quae sunt *uter, ubi, uti* non ab *u* incepisse. Decurtatae formae *ut* vocalis, si insequens verbum a consona incipit, saepissime producitur, non semper [8]).

Jam ut ea, quae pluribus verbis persecuti sumus, paucis comprehendamus, satis videtur esse exploratum, *uti* (utei) principalem fuisse particulae formam

---

[5]) Cfr. Huschke. Die Iguvischen Tafeln p. 667. Qua ratione lingualis littera *t* in Latina lingua et in Umbrica sibilans sonus inter se respondeant, Ebelius accurate explicat in Kuhnii Zeitschrift f. vergleichende Sprachforschung VI. pag. 418.

[6]) Cfr. ea, quae Ritschelius in Museo Rhenano (1853 p. 487 sqq.) cum doctis viris communicavit.

[7]) Correptam esse mediam particulae, quae est utique, syllabam, nisi Priscianus auctor esset, (ed. Putsch. p. 667 cfr. p. 1252), pro certo affirmare non possemus; nam apud poetas nusquam, quantum scio, usurpatur.

[8]) Apud comicos (Plautum et Terentium) decurtatam formam, quae est *ut,* haud raro contra usitatam versuum legem ita efferri, ut, quum insequatur verbum a consona incipiens, tamen non fiat positione longa, Corssenius monet, Ueber die Aussprache II. 96. Jam hoc potissimum loco commemorandum est, si Charisio (p. 202), Diomedi (p. 388), Servio ad Aen. I. 667 credendum sit, *ut,* quum idem declaret atque *quomodo,* sive ei particulae non pendens subjecta sit enuntiatio, sive pendens, acuto efferri accentu. Ex hac eorum, quos dixi, grammaticorum lege suspicari licet, particulam *ut* alias gravem recepisse accentum. At aliter Priscianus eam quaestionem absolvit. "Ut, inquit, uti et utinam praepositae gravantur per omnes syllabas, subjunctivae autem generalem accentum servant." Jam si etiam Cledonii testimonium attendimus, cujus haec sunt verba (p. 1926): ut id est quemadmodum circumflexum habet accentum, ut conjunctio acutum, tantam videmus esse veterum testium de hac re discrepantiam, ut quae verissima sit sententia, persequi non audeam.

et ex hac, i vocali detracta, *ut* decurtatam formam esse natam [9]). Neque vero in aliorum vocabulorum formis detractae in exitu i vocalis exempla desunt. Mitto verborum formas, quarum notissimum est permultas, quum antiquitus in i litteram desiissent, apud Latinos eam vocalem deposuisse [1]), etiam particula illa Oscorum *auti* (Umbr. *ote)* in Latina lingua nisi monosyllabum *(aut)* nunquam invenitur [2]). Quid? pronomina linguae sanscritae, quae sunt *kati, tati,* nonne satis constat apud Latinos in *quot, tot* mutata esse.

Nunc quoniam de diversis suffixi formis satis est disputatum, proximum est, ut, unde originem traxerit et quam vim habeat, explicemus. Atque hoc quidem et verisimillimum est et nunc ab omnibus concessum, artissima necessitudine id, de quo quaerimus, suffixum cum eadem illa radice pronominali conjunctum esse, quae etiam in *iste, ita, item* inveniatur [3]). In hac autem radice demonstrandi quaedam vis inest. Sed qua ratione ab ea declinatum sit et quid ipsa terminatio (i) sibi velit, difficile est extricare. Etenim viri harum rerum peritissimi et quorum plurimum valere debeat auctoritas, de hoc parum vel inter se consentiunt vel sibi ipsi constant. Boppius quidem, quum primo [4]) ad adverbium modale linguae sanscritae, quod est *iti* (sic), attendisset et *uti* addito eodem suffixo, quod in illo exstaret, ortum esse statuisset, idem paullo post [5]), hoc potissimum adductus, quod *i* vocalem in verborum exitu, si brevis esset, apud Latinos fere aut excidere aut in *e* abire diceret, *ti* illud, quod in *uti* inveniretur, ex *t'â* suffixo originem traxisse docuit. Hoc autem suffixo in lingua sanscrita adverbia modalia, quae ex pronominibus flexa essent, fingi solere. Itaque latinorum particulam *uti* a similitudine adverbii sanscritici ka-ta, in Vedicis libris usurpati, proxime abesse. Aliam explicationem Corssenius attulit [6]), quum illud *-ti* antiquitus locativi, quem dicunt,

---

[9]) Dignum etiam hoc est quod reputes, quod in vetustissimis formulis sollennibus, qualis est *uti rogas,* longior semper forma usurpatur. Nimirum in his formulis diutius quam in quotidiana hominum loquendi consuetudine veteres verborum formae sunt servatae.

[1]) Ut sanscritica illa *asti, (a)santi* apud Latinos in *est, sunt* mutata invenimus. Cfr. Schleicheri Comp. d. vergl. Gramm. p. 77. sq.

[2]) Cfr. Bopp. l. l. 378. Mommsen. Osk. Studien p. 55.

[3]) Ut alios omittam, Handium conferas velim. Tursell. III. 467.

[4]) Bopp. l. l. 1:ma edit. §. 425.

[5]) Id. 1:ma edit. §. 855. 2:da edit. §. 425.

[6]) Ueber die Aussprache II. 262.

notam prae se tulisse suspicaretur. At ut facile concesserim fieri potuisse, ut nonnulla Latinorum adverbia ab locativis orirentur [7]), ita dubito, an ea nunquam principalem illam *i* litteram retinuerint ac non *e* receperint.

Itaque, qua ratione suffixum formatum sit, in obscuro est, quae ipsa radix sit adverbii, non item. Et quoniam ex antiqua quadam radice interrogativa *ka* apud Latinos et relativum pronomen et interrogativum, quin etiam indefinitum [8]) flexum est, non solum ubi, unde, quo, alia adverbia ab eadem radice derivata, sed etiam *uti* et interrogativam vim recepit et relativam. Indefinitum vero sensum, nisi quum copulata est, nunquam sibi vindicat. Itaque, quum adjecto *que* [9]) pronominum adverbiorumque indefinitorum vis ita amplificari soleat et dilatari *(quisque, uterque, ubique)*, ut jam non ad unam aliquam incertam rem pertineat, sed ad omnes, quae ejusdem sint generis, non una comprehensas sed suo quamque modo cogitandas transferatur, tum eodem modo etiam *utique* formatum est, quod non est dubium [1]) quin primo idem

---

[7]) Bopp. l. l. §. 200 al. Constat in radicibus linguae sanscritae in a desinentibus locativi notam *i* cum radicali *a* in *e* conflatam esse. Haec autem *a* littera apud Latinos *o* (u) facta est. Velut navas in novo-s (novus) abiit, unde ortus est locativus adverbii partes sustinens: nove. Cfr. Bopp. §. 116. Schleicher. §. 46. 3.

[8]) Nimirum potuisse hanc radicem, in *ki* mutatam, etiam in lingua sanscrita indefinitam adsumere significationem, Boppius docet l. l. §. 401, ubi, quae cognatio inter *ki* et *τις* indefinitum pronomen Graecorum intercedat, planum facere conatur.

[9]) Haud scio an recte hoc *que* pro vetere pronominis indefiniti ablativo accipiant. Corssenius quidem (Ueber Aussprache I. 336) particulam illam encliticam *que* ex quid eodem modo ortum esse putat, quo antiquae ablativi formae *marid navaled,* abjecta linguali littera, quae casus fuisset nota, in mari navali sint mutata. Atque hanc esse particulae originem, ex eo colligit, quod etiam Augusti temporibus *que* illud, quum saepissime corripi soleret, tamen apud poetas nonnunquam (in arsi) produci potuerit. Aliud de hac re judicium Schoemannus facit (De particulae que origine) cujus haec sunt verba: ne illud quidem incredibile videri debet, statim ab initio particulae formam fuisse hanc indifferentem ac propter hanc ipsam indifferentiam variae significationis fuisse capacem, quae si quando ad unius aut alterius significationem accederet, modo etiam particulam in formam casui similem abiisse, modo autem antiquam suam et indifferentem formam retinuisse. Attamen ipse nihil pro certo affirmare audet.

[1]) Lachmannus, qui ad Lucr. IV. 640, multa de hoc adverbio verba fecit atque Ciceronis demum temporibus *utique* usitatius fieri coepisse ostendit, de principali ejus vel origine vel significatione perperam mihi quidem videtur judicasse, quum copulativo *que* adposito ortum id esse censeret et interpretaretur: und wasmassen (et ut). Quamquam in hoc sibi constat, quod etiam *ubique* ab initio *und wo* significasse contendit. At non solum ex tanta

declaraverit atque *quaque ratione,* tum autem simplicem affirmandi vim receperit [2]). Jam ex similitudine talium verborum, qualia sunt *quisquam, usquam, unquam,* forsitan suspicetur quispiam etiam *utiquam* Latine dici et idem fere significare quod *ullo modo* (på något sätt alls). At istud vocabulum, nisi cum neganti particula, quae est *ne,* in unius verbi quasi corpus conflatum, nusquam reperitur. Haec autem copulata particula (neutiquam) sive ejus originem respicias, sive significationem (nullo modo) ad particularum, quae sunt *nunquam* et *nusquam,* similitudinem proxime accedit. Sed quoniam nisi apud antiquorum temporum scriptores, inter quos recentissimus est Livius, nusquam fere usurpatur [3]), ut praemature ab usu quotidiani sermonis intermissum esse videatur, non est, cur quisquam miretur, quod Donatus ad Ter. Hec. III. 3. 43, quum ita interpretaretur: non nimis, non valde, quid significaret illa particula, parum intellexit. Neque vero idem in alio Terentii loco explicando (Andr. II. 1. 30.) veram particulae vim non perspexit, neutiquam pro nequaquam poni affirmans [4]). Proximum est, ut doceam, quaenam *ut* particulae repetitae vel dupliciter positae (ut-ut) sit ratio. Atque prius illud *ut* relativam vim sibi vindicat (qua ratione); posterius, enclitici vice fungens, modum

illa formae necessitudine, qua *utique* et *ubique* cum *quisque, undique, uterque, usque* conjuncta sunt, sed etiam ex eo, quod *ubique* eodem fere modo quo *quisque* in relativis enuntiationibus haud raro usurpatur, quid de origine verborum quae sunt *ubique* et *utique* judicandum sit, apparet. Nam et Plautus in Bacch. V. 1. 1. *quicunque ubique sunt* habet, et Sallustius *ubique* nullo loco nisi aut in sententiis relativis aut in interrogationibus usurpat, et quidem ita. ut aliqua distributionis, ut ita dicam, vis insit. Quamquam quid opus est pluribus, quum Schoemannum videam (De partic. que in compos. p. 12 sq.) pravam Lachmanni sententiam doctissime et copiossime refutasse.

[2]) Recentissimis demum temporibus (in cod. Theod. 15. 2. 3.) *neutique,* negans particula illi contraria, invenitur, adeo non ex ulla similitudine formata, (neque enim unquam *nusque* dictum est), ut facile adduci possemus, pro illo neutique lectionem, quae jam Gothofredo placuit, *neutiquam* recipiendam esse, nisi perspectum et exploratum haberemus, hanc particulam jam multo ante obsolevisse. Quod Handius (Turs. IV. 184) in nonnullis Livii locis *neutique* legi jubet, haud scio an recte ceteri omnes vulgatam lectionem *neutiquam* retineant. Nam per compendiorum ambiguitatem facile effici potuit, ut pro hoc vocabulo illud in nonnullos codices irreperet.

[3]) Me non fugit, etiam Gellium, ut est antiquorum verborum studiosus, uno loco II. 23. *neutiquam* usurpasse.

[4]) Hoc moneo propter Handium, qui Donatum auctorem laudans, ita vertit: nicht eben. Quae quidem versio, quam sit ab particularum, quae sunt *nunquam* et *nusquam,* similitudine aliena, dubito an nemo non videat.

alicujus rei incertum et indefinitum designat (aliqua ratione), unde fit, ut haec verborum copulatio relativam vim retineat illa quidem, sed dilatatam nec ullis certis finibus circumscriptam eam esse indicet (på hvilket sätt som helst som [5]).

Ut ex radice illa *ka (quo)* et relativum pronomen Latinorum (qui) et interrogativum (quis, qui) flexum est, ita etiam particula, quae est *ut*, ex eadem radice orta, ut jam supra dixi, et relativam et interrogativam induit vim vel, ut verius dicam, duae sunt particulae, ejusdem formae sed quarum suam utraque vim recepit, quemadmodum duo sunt *quo, quomodo* cet. unum relativum, alterum interrogativum. Neque ignoro fuisse, qui relativam particulae *ut* significationem antiquiorem esse statuerent et ex ea interrogandi vim natam putarent [6]. At si certum est et exploratum, ex eadem radice, unde et relativum et interrogativum pronomen flexum sit, etiam *ut* natum esse, nec potest aut argumentis comprobari aut pro certo affirmari, relativum pronomen fuisse antiquius atque interrogativum ex eo originem traxisse, nihil mihi quidem videtur esse, cur etiam *ut* ab initio et interrogativam et relativam significationem habere potuisse negemus. Atque, si, quanta inter relativa et interrogativa quum in multis aliis linguis tum etiam in Latina intercedat cognatio, accuratius persequi, ut per se utile atque jucundum, ita hoc tempore longum est nec ad hanc rem, in qua nunc versamur, tractandam necessarium,

---

[5]) Cfr. *Quamquam* quod non in obscuro est simili modo esse formatum.

[6]) Velut Gernhardus (in Opusc. p. 252) cujus haec sunt verba: "A duarum rerum vel temporum comparatione *ut* (wie) transfertur ad unius rei modum, quem tamquam praesentem admireris vel lugeas, ostendendum, quum ipsam rei vel hominis speciem, habitum, gestum motumve intuendum monstras. *Ut pudet victos! Cnaeus noster ut totus jacet.*" Ubi hoc monitum velim, Gernhardum ita ad Ciceronis et eorum scriptorum, qui aut ejus temporibus aut postea demum fuerunt, loquendi usum attendisse, ut quum particulam illam ab iis in exclamationibus usurpari moneret, oblitus esse videretur, apud antiquissimum quemque (ut apud Plautum et Terentium) eam etiam in simplicibus quaerendi formulis satis fuisse frequentem. Eodem fere modo atque Gernhardus etiam Wunderus l. l. quae principalis fuisset particulae vis explanare conatus est. "Die Partikel *ut* hat ursprünglich zur Vergleichung gedient und keine andere Bedeutung als die Griechische Partikel ὡς und die unsrige *wie* gehabt." At vero neque dubium est, quin, quum primo relativi adverbii ad modum rei significandum usurpati *ut* functum esset vicibus, ex hoc demum usu effectum sit, ut comparativae conjunctionis vim indueret, neque istud, ut speciose, ita etiam vere dicitur, *ut* ab initio nihil aliud atque Graecorum ὡς declarasse; hoc enim nunquam non aut relativum est aut aliam recepit significationem ab relativa natam; illud, ut supra dixi, jam inde ab antiquissimis temporibus interrogativo sensu haud raro usurpatur.

contenti sumus illam quam diximus significationum diversitatem tueri et ab ea disputationem nostram ducere [7]).

Quum autem inter relativam et interrogativam particulam magna intercedat significationum differentia, tamen in hoc certe magna earum cernitur similitudo, quod utraque ab initio ad modum alicujus rei indicandum adhibetur. Quod quoniam ita est, eaedem fere iis primae fuerunt significationes, quae particulae illi *quomodo* insunt, si quidem haec, sive relativa est, sive interrogativa, certe modalem, ut ajunt, vim semper retinet. Ab hac autem principali et propria modi significatione illa tam multa tamque diversa, quae *ut* assumsit, significationis atque usus genera paullatim quasi effloruerunt. Quod qua ratione fieri potuerit, ut aliud ex alio sensim nasceretur significationis velut discrimen quoddam, jam ita persequi conabimur, ut primo de *ut* interrogativo brevem instituamus disputationem, tum *ut* relativum et significationis discrimina ex relativa vi nata tractemus.

I. Ut interrogativum.

Quum in quaestionibus, quas dicunt, non pendentibus et indicativus poni possit et conjunctivus, tum etiam de interrogationibus, quae ab *ut* incipiunt, idem dicere licet. Atque si ab iis, in quibus ponitur indicativus, initium hujus inquisitionis faciendum est, facile apparet, *ut* nunquam fere nisi apud antiquissimum quemque scriptorem in veris interrogationibus et quibus de rei modo quaeratur, pro eo, quod est quomodo, usurpari. Itaque apud Plautum et Terentium talia exempla, qualia sunt haec, non raro inveniuntur. Plaut. Pers. IV. 4. 5, *ut munitum muro tibi visum oppidumst?* Ejusd. Trin. I. 2. 10, *ut vales?* (cfr. Pers. I. 1. 17. II. 2. 22. Truc. II. 7. 27. Most. III. 2. 28. Rud. V. 2. 17. Ter. Heaut. II. 4. 26.) Rud. II. 2. 6, *ut peritis?* Merc. II. 3. 57, *ut moratast?* Sed jam apud scriptores paullo recentiores hic loquendi usus paene totus evanuit neque nisi in quotidiano hominum sermone est servatus. Unde factum est, ut Horatius in iis libris, in quibus usitato et vulgari sermonis genere uteretur, ne ab hoc quidem loquendi usu abhorreret,

---

[7]) De nexus et cognationis vinculo, quo interrogativa et relativa non solum inter se sed etiam cum indefinitis et demonstrativis continerentur, Schoemannus et undeviginti abhinc annos in Hoeferi Zeitschrift f. d. Wissensch. d. Sprache I. 241, et nuper in Progr. De particulae que origine, acute disputavit.

velut Sat. II. 8. 1. *Ut Nasidieni juvit te coena?* Epist. I. 3. 12, *ut valet? ut meminit nostri?* Apud eos scriptores, qui politius atque limatius dicendi genus consectantur, in veris interrogationibus, quum de rei modo quaeritur, *quomodo* aut *quemadmodum* usurpari solet, non *ut.* Sed quum jam antiquissimi scriptores in exclamationibus, quae interrogationes esse viderentur neque essent, *ut* saepissime usurpare coepissent, in his loquendi formulis ejus usus multo diutius est retentus. Plaut. Mil. IV. 6. 51, *ut me veretur!* Ejusd. Bacch. IV. 1. 7, *ut pulsat!* Ter. Hec. III. 3. 46, *o fortuna, ut nunquam perpetuo es data!* Cic. Mil. 24. 64, *quae postea sunt in eum congesta, ut sustinuit! di immortales! sustinuit? immo vero ut contempsit ac pro nihilo putavit!* Hor. Sat. II. 8. 62, *ut semper gaudes illudere rebus humanis!* Quint. VI. prooem. 11, *ut me in supremis consolatus est!* [8]) In talibus autem exemplis quis est quin videat principalem illam modi significationem valde obscuratam esse? Jam vero hoc *ut* non raro etiam ad augendam adjectivi vel adverbii vim ita usurpatur, ut ab particulae, quae est *quam,* significatione proxime absit. Ut Plaut. Mil. IV. 5. 4, *ut multa verba fecit!* Ejusd. Epid. II. 2. 40, *vestita, aurata, ornata, ut lepide, ut concinne!* Ejusd. Amph. V. 1. 51, *ut magnust! ut multum valet!* Ter. Heaut. V. 5. 19, *ut elegans est!* Catull. 66. 30, *ut tristi lumina saepe manu!* Cic. Att. II. 21. 3, *ut ille tum humilis! ut demissus erat! ut ipse sibi displicebat!* Virg. Aen. VIII. 154, *ut te, fortissime Teucrum, accipio agnoscoque libens!* [9]) Quid? quod ejusmodi *ut* nonnunquam cum comparativis jungitur, ubi *quam* usurpari non potuit et *quanto* ponendum erat. Plaut. Truc. IV. 3. 32, *ut facilius alia, quam illa,*

---

[8]) Notissimus locus ille Virgilianus est Buc. 8. 42, *ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error,* ubi primum illud *ut* tempus notat, a duobus postremis exclamationes incipiunt. Nam quum verisimile sit, Virgilium h. l. verba Theocriti II. 82 sibi proposuisse et ea imitari voluisse, tum non dubium est, quin ea ita possint Latine reddi. Neque tamen ignoro rectius fecisse eos, qui apud Theocritum ὡς duobus postremis locis demonstrativam vim recepisse atque accentus nota distinguendum esse statuerint. Sed utcumque se res habet, nihil est cur Hartungio adsentiamur, qui Virgilium h. l. non adhibito suo judicio, verba Theocritea ita vertisse putavit, quasi *ut* demonstrativam significationem unquam adsumere posset. Cfr. Hartung. Die Casus p. 272.

[9]) Eodem modo *ut* etiam in quaestionibus pendentibus pro *quam* cum adjectivis conjungitur. Plaut. Most. I. 3. 80, in te certum est principe, ut sim parcus experiri. Id. Rud. II. 1. 4, ut locupletes simus, scitis.

unde est, puerum alienum parit! Hor. Od. I. 11. 3, *ut melius quidquid erit pati!*

Jam constat in interrogationibus non pendentibus, sive eae ab interrogativa voce incipiant, sive nulla praeposita sit interrogationis nota, ubi ea res, quam quis fortasse putet vel putaverit fieri posse, dubium esse indicetur, an non possit vel non potuerit fieri, vel etiam (id quod plerumque usu venit) negetur fieri posse, conjunctivum, quem vocant, dubitativum poni solere [1]). In quibus loquendi formulis Praes. Conjunctivi ibi usurpatur, ubi nunc, num res quaedam futura sit, dubitari posse indicatur; imperf. conjunctivi, ubi aliquando (tempore jam praeterito) num res futura esset, dubitari potuisse declaratur; perf. conjunctivi, ubi quis nunc fortasse eam rem pro facta putare indicatur, quae num facta sit, dubitetur, vel etiam negetur facta esse; plusquamperfectum denique, ubi res, quae aliquando (tempore nunc peracto) jam facta putari potuerit, facta esse negatur [2]). Apertum autem est tales loquendi formulas non esse veras interrogationes, sed ut acrior et concitatior fieret argumentatio, quaestionis speciem et formam induisse. Quamobrem nihil obstat, quominus eas rhetoricas dicamus interrogationes.

In his igitur quaestionibus rhetoricis, quum alia adverbia interrogativa, tum etiam *ut* haud raro usurpatum invenitur et quidem ita, ut quadam ex parte principalem vim retineat et idem fere atque quomodo significet. Si ab *ut* interrogatio rhetorica per conjunctivum elata incipit, quaeri solet, qua ratione

---

[1]) Madvigius (in Gramm. §. 350. a) eas interrogatioues, per conjunctivum elatas, in quibus pronomen interrogativum subjecti partes sustinet, a ceteris disjungit et potentiali, quod dicunt, conjunctivi generi subjicit. At nihil omuino inter haec conjunctivi exempla interesse videtur discrimiuis: *Quis neget?* — i. e. forsitan quispiam aliquem negaturum esse putaverit; at quis id facere possit? — et *Quid faciam?* — i. e. forsitan me aliquid facturum esse putetis; at quid facere possim?

[2]) Sunt qui doceant (ut F. Schultzius in Latein. Sprachlehre §. 343) conjuuctivum plusquamperfecti iu his interrogationibus nullum omnino locum habere. At hujus conjunctivi exempla, quamquam admodum sunt rara, tamen nou omnino desunt. Atque de his quidem, qualia sint dubitari non debet. Cic. p. Sulla 16. 45. mihi salus cujusquam tanti fuisset, ut meam negligerem (i. e. falso suspicatus es, mihi salutem cujusquam tanti fuisse). Id. Att. XV. 11. 1, egone ut beneficium accepissem contumeliam (i. e. erravit, si quis credidit, me ut beneficium accepisse contumeliam). Nam quod nouuulli in posteriore loco accepisse, quam scripturam aliquot codices habent, modo audiatur *dicar* vel *videar,* praeclare se habere statuunt, vereor ne ista verbi finiti omissio durior sit quam ut ferri possit.

res quaedam aut futura aut facta putari possit, idque ita, ut ea non futura aut non facta esse indicetur. Quum autem non vera sit quaestio et tota ad augendam probationis vim valeat, facile efficitur, ut et interrogativa et modalis vis quodammodo obscuretur [3]). Jam nonnulla afferenda sunt exempla, ita disposita, ut etiam ea, quam supra exposuimus, temporum descriptio sub aspectum veniat et planior fiat. Plaut. Trin. III. 3. 22, *ut ego nunc adolescenti thensaurum indicem indomito?* Ter. Andr. III. 5. 12, *tibi ego ut credam?* Cic. Cat. I. 9. 22, *te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere?* Plaut. Men. IV. 3. 9, *mihi ut tu dederis pallam et spinther?* Plaut. Pers. I. 3. 52, *me ut quisquam norit nisi ille, qui praebet cibum?* Hor. Epod. 17. 56, *inultus ut tu riseris Cotyttia vulgata?* v. 59, *impune ut urbem nomine impleris meo?* Enn. Trag. v. 305, Vahl. *nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?* Ter. Phorm. V. 6. 34, *utin haec ignoraret suum patrem?* Plusqpf. conj. post *ut* in talibus loquendi formulis nusquam positum inveni, id quod casu et fortuito factum esse puto.

Saepe accidit, quod in exemplo jam supra ex Ter. Phorm. V. 6. 34. allato factum esse videmus, ut in ejusmodi interrogationibus etiam *ne* particula enclitica ponatur. Quod si fiat, Handius [4]) auctor est, ipsam interrogationem ex duabus quaestionibus esse conflatam, quibus vel de rei modo vel de ipsa re quaeratur et quarum una ab *ut*, altera ab *ne* particula alii cuidam verbo adposita incipiat. Atque ut hoc Handio dandum est, per eam explicationem, qua ratione potuerit is loquendi usus exsistere, satis planum fieri, ita nos hoc loco contenti sumus ad eam loquendi consuetudinem animum admovisse, qua, ut ea, quae in interrogatione insit, dubitatio apertior fiat et manifestior [5]), *ne*

---

[3]) Et in hac re et in eo, quod ejusmodi interrogationes ab *ut* incipientes ibi potissimum usurpari solent, ubi antea aut affirmatum est vel certe indicatum posse affirmari, eam rem, de qua dubitetur factam vel futuram esse aut etiam postulatum, ut fiat — in his maxime, inquam, hujus loquendi usus proprietas cernitur. Tamen etiam *quo pacto* et *quî* et *quomodo* simili ratione nonnunquam usurpantur, sed multo rarius, et ita ut vis illa modalis retineri videatur. Cfr. Plaut. Pseud. I. 27. Cor dura. Non possum. Face possis. Quonam pacto animum vincere possim?

[4]) In Tursellino IV. p. 83.

[5]) Simili ratione etiam nos interdum post interrogativa particulam quae est *månne* ponimus.

haud raro et adverbiis et pronominibus interrogativis jungitur (*quine* Hor. Sat. II. 3. 295, *uterne* Ibid. II. 2. 107, *quantane* Ibid. 317; *utrumne, numne* cet.) Itaque, si adpositum est *ne*, quaestio ab *ut* incipiens ad speciem verae interrogationis et ad quam respondendum sit, paullo propius accedit, sed dubium tamen esse indicatur, an debeat ea res, de qua quaeratur, negari. Jam si quis quaerit, cui potissimum vocabulo *ne* adnectatur, raro cum ipso *ut* jungitur, ut in exemplo nuper allato Ter. Phorm. V. 6. 34, et Hor. Sat. II. 5. 18, *utne tegam spurco Damae latus.* Saepius pronomini et quidem potissimum personali pronomine adjungitur aut nomini aut participio aut denique ei vocabulo, quod, quum in ipsa sententia maximam vim habeat, etiam primum in enuntiatione locum sibi vindicat. Plaut. Curc. V. 2. 18, *meane ancilla libera ut sit?* Ter. Eun. IV. 7. 1, *hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam?* Atti. v. 427. Ribb. *Egone auxilio nudus temere ut hosti me offeram?* Cic. Tusc. II. 18. 42, *egone ut te interpellem?* Cic. Sest. 7. 17. Liv. IV. 2. 12. V. 24. 10. Sed ipsi verbo finito *ne* particula neque in his interrogationibus, neque in ulla omnino, quae quidem ab interrogativo incipiat, quaestione unquam adjungi potest [6]).

Quoniam particulam, quae est *ut*, in hoc loquendi usu interrogativam vim

---

[6]) Fuerunt, qui hunc particulae *ut* usum cum notissima loquendi consuetudine compararent, qua iu exclamatiouibus mirantium vel indiguautium, nullo addito verbo finito accusativus cum iufinitivo junctus poni soleret. At nihil aliud illi est cum hac commuue, nisi quod ueutrius caussa et origo ex detractione vel ellipsi, ut ajunt, verbi finiti repeteuda est. Nam ut per simplicem accusativum (me miserum! testes egregios! sim.) ita etiam per accusativum cum infiuitivo junctum vera aliqua res menti obversans et animum vel admiratione vel indignatioue afficieus inducitur. Etenim inter has verborum conjunctiones: fallacem hominum spem (Cic. d. Or. III. 2. 7.) et Te nunc sic vexari (Cic. Fam. XIV. 2. 2.) propinquitatem aliquam et cognationem intercedere, ex iis maxime locis intelligitur, in quibus junctae suut illae constructiones, velut Cic. Fam. XIV. 1. 1. Me miserum! te in tantas aerumnas propter me incidisse! Neque vero per accusativum cum verbo infinito junctum interrogatio semper exprimitur, nam tum demum, quum, adnexa *ne* particula, cum illa vel iudiguatione vel admiratione etiam dubitatio de rei veritate conjungitur, iuterrogatio exsistit, ut ajunt, rhetorica. Quae autem ab *ut* incipit enuntiatio, sive adpositum est *ne,* sive uon adpositum, ea interrogatio semper est vel certe formam semper prae se fert interrogationis. Jam si significatiouem ipsam respicias, hac iu re eae, de quibus quaerimus, loquendi formulae inter se discedunt, quod per illam, etiam si adposito ne dubitatio quaedam exprimitur, res vera esse et hoc ipso, quod vera sit, indignationem vel admirationem movere indicatur, per hauc de rei modo ita quaeritur, ut vera ea esse negetur.

sibi vindicare statuimus, ne id quidem omittendum esse videtur, hanc explicationem omnibus fere ceteris non placuisse. Nam qui in harum interrogationum vim et significationem inquisiverunt, tantum non omnes *ut* pro conjunctione acceperunt et aut *fieri (fierine) potest* [7]) aut verbum aliquod voluntatis [8]) audiri statuerunt. At jam ex hac ipsa re, quod alii aliud omissum esse putarunt et ad explicandam unam eandemque loquendi rationem verba, quae diversissimae sint significationis, audiri voluerunt, quantis difficultatibus omnes de verbi detractione conjecturae sint obstructae, colligi licet. Quod autem in his omissum censemus voluntatis verbum? Ter. Phorm. V. 6. 34. *Somnium* (id quod dixisti); *utin haec ignoraret suum patrem?* Plaut. Most. V. 1. 25, *mecum ut ille gesserit, dum tu abes, negoti?* Ejusd. Men. IV. 3. 9, *mihi ut tu dederis pallam atque spinther?* quibus omnibus in locis apertum est, num vere dictum quid sit, dubitari. Jam vero, etsi in talibus exemplis, qualia sunt haec: *te ut ulla res frangat* (Cic.) et *tibi ego ut credam* (Ter.) addi possunt *fierine potest,* tamen haud scio an iis additis verbis tota sententia commutetur. Neque enim illud: *te ut ulla res frangat,* simplex est quaestio et qua, num quae res te frangere possit, interrogeris, sed asseveratio, interrogationis speciem prae se ferens, qua negetur ulla res te frangere posse. Praeterea, si quis *ut* interrogativam vim et saepe recipere et his quoque locis recipere potuisse perpenderit et tales interrogationes comparaverit, quales sunt: *Cur plura commemorem? Ubi ego audiverim? Quid enumerem artium multitudinem?* nihil esse sibi facile persuadebit, cur eas, quae ab *ut* incipiant, diversi generis esse suspicetur. Quae quum ita sint, integras per se esse has loquendi formulas tenemus, ut nihil detractum, nihil audiendum esse statuamus. Sed quoniam ab interrogativo vocabulo quaestiones, quas dicunt, rhetoricae non semper incipiunt, aliquantum lucis huic loquendi usui allaturus esse videtur, qui ad eos scriptorum locos attenderit, in quibus duae junctae sunt interrogationes, quarum una ab *ut* incipiat, altera nullam prae se ferat interrogandi notam. Velut apud Ter. Andr. III. 5. 12, ei, quam jam inspeximus, interrogationi: *tibi ego ut credam?* alia adnectitur interrogatio: *tu rem impeditam et perditam restituas?* inter quas interrogationes, si grammaticam, ut ita dicam, earum ra-

---

[7]) Ut Zumptius in Gramm. §. 609. Madvigius §. 353. Anm. Kruegerus §. 571.

[8]) Ut F. Schultzius l. l. §. 391.

tionem et ipsum verborum nexum investiges, hoc tantum interest, quod in illa de rei modo ita quaeritur, ut res negetur ullo modo fieri posse, in hac res ipsa fieri posse ita negatur, ut de modo non quaeratur. [9])

Quamquam igitur in his loquendi formulis *ut* pro interrogativo adverbio accipimus, tamen iidem monendum esse putamus, etiam ab *ut* finali haud raro interrogationes incipere, quibus, quo consilio res aliqua suscepta sit, quaeratur, ut Ter. Ad. IV. 5. 20, *venit ut secum avehat — hem virginem ut secum avehat?* (i. e. num idcirco venit ut cet.) Cic. Phil. II. 34. 86, *supplex te ad pedes abjiciebas. Quid petens? ut servires?* Saepe etiam in his interrogationibus *ne* adponitur. Ter. Hec. I. 1. 9, *te moneo ne quoiusquam misereat. Utin* (i. e. mene mones ut) *eximium neminem habeam?* Plaut. Merc. III. 3. 15, *tu osculere mulierem? utin adveniens vomitum excutias mulieri?* Cic. Tusc. I. 15. 32, *quid tot tantosque viros cogitasse* (i. e. spectasse) *arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita terminaretur?* Hoc interrogationum genus tum fortasse accuratius retractabimus, quum ad *ut* finale disputatio nostra pervenerit.

Etiam aliae exstant interrogationes, *ut* interrogativo subjectae, quae quamquam non obliquae nec ab ullius verbi potestate aptae sunt, per conjunctivum tamen efferantur. In iis autem conjunctivi caussa ex condicione aliqua aut disertis verbis expressa aut certe, quae audiatur, repetenda est. Ter. Eun. IV. 3. 6, *nunc si detur mihi, ut ego unguibus illi in oculos involem!* Plaut. Cist. I. 1. 95, *mihi istum hominem vellem dari. Ut ego illum versarem!* (auditur: si mihi daretur).

Jam, qui sit particulae *ut* in obliquis interrogationibus usus, breviter enarrabimus. Atque si ex pervulgatissima Latini sermonis regula in his enuntiationibus conjunctivus poni debet, hoc memoratu dignissimum mihi videtur, quod

---

[9]) Ex iis ipsis, quae diximus, suspicari licet, interrogationem, si adponenda sit negatio, ab *ut non* incipere, id quod apud Hor. Epist. I. 18. 16, fieri videmus: *ut non sit mihi prima fides et vere quod placet ut non acriter elatrem?* Hoc monendum esse putavimus et ut accuratior esset nostra disputatio et quod Feldbauschius (Latein. Schulgramm. 6:te Aufl. Vorr. p. VIII.) non defuisse tradit, qui in ejusmodi interrogationibus negationem per *ne* conjunctionem efferri opinarentur. Nam quod exempli caussa Cic. Att. XII. 40. 2, *ne doleam* attulerunt, eum locum Feldbauschius recte docet talem esse, ut *ne* illud cum postulandi verbo proxime antecedenti sit conjungendum.

apud antiquissimos scriptores atque apud poetas usque ad Virgilii tempora indicativus saepe positus reperitur. Quae quidem licentia, quamquam latissime serpsit et per omne interrogationum obliquarum genus increbuit, tamen in quaestionibus particulae *ut* subjectis aliquanto viguit diutius. Si quaeritur, qua ex caussa sit repetenda, haud scio, an recte fecerint, qui ex alacritate quadam et vi orationis, qua factum esset, ut enuntiationes, quarum altera alteri subjungenda esset, perinde, quasi sui utraque esset juris, inter se componerentur, quum multa alia, tum etiam hanc licentiam natam esse statuerent. Quare, si interrogationem non ex altera enuntiatione pendere sed suae quasi potestatis esse tenemus, qualis sit hic loquendi usus, satis liquet. Apud antiquissimum quemque scriptorem indicativus etiam tum usurpatur, idque saepissime, quum vera et germana est interrogatio et ad quam sit respondendum, velut Plaut. Amph. I. 1. 221, *loquere, quid venisti?* Ejusd. Bacch. IV. 7. 18, *responde, quis me vendit?* Ter. Andr. II. 6. 18, *dic, quid est?* Cujus generis exempla, quum apud posteriores scriptores, praesertim apud eos, qui soluta utuntur oratione, multo sint rariora, tum apud Ciceronem nisi post *dic* vel *quaero* nusquam fere exstant. Cic. Lig. 8. 24. Tusc. I. 5. 10. Sed etiam apud eum haud raro fit, ut interrogatio rhetorica vel exclamatio enuntiationi primariae, cui subnecti aut debuerit aut certe potuerit, ita adnectatur, ut ab ea non pendeat. Cic. Att. VIII. 3. 12, *vide, quam conversa res est!* Lael. 25. 96. Atque eae quidem interrogationes, quae ab ut incipiunt, si verae sunt quaestiones et ad quas sit respondendum, tantummodo apud antiquissimos scriptores ac ne apud eos quidem saepe, primariae enuntiationi sic adnectuntur, ut indicativum sibi vindicare possint. Enn. Trag. v. 23. Vahl. *eloquere, res Argivum proelio ut se sustinet?* At in exclamationibus apud comicos et ceteros poetas usque ad Virgilii aetatem post *ut* indicativus ponitur. Sunt autem loquendi formulae, quibus *ut* cum indicativo adjungi solet, hae fere: *vide, videsne (viden), nonne vides, adspice, adspicite,* quibus ex antiquissimorum loquendi consuetudine etiam hae addi possunt: *audin, audi, audite, video.* Plaut. Aulul. I. 1. 7, *vide, ut incedit!* Ter. Ad. IV. 2. 20, *vide, ut discidit labrum!* Atti. 303. Ribb. *viden, ut te impietas stimulat nec moderat metus!* Virg. Geo. I. 56, *nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur, molles sua tura Sabaei!* Id. Aen. VI. 855, *adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis ingreditur!* Cat. 62. 12, *adspicite, innuptae secum ut meditata*

requirunt! Plaut. Men. V. 5. 21, *audin tu, ut deliramenta loquitur!* Enn. Ann. v. 215. Vahl. *Divi, hoc audite parumper, ut pro Romano populo prognaviter armis certando prudens animam de corpore mitto!* Atti. v. 255. Ribb. *Nam flori crines video, ut propessi jacent!* Sed ut prosae orationis scriptores, ita etiam poetae recentiores illam fugientes licentiam post ejusmodi formulas conjunctivum usurpare solent, ut jam apud Horatium indicativus nusquam videatur exstare. [1]) Cic. Rosc. Am. 24. 66, *videtisne, ut eos agitent furiae?* Tac. Hist. I. 37. Hor. Od. I. 9. 1, *vides, ut alta stet nive candidum Soracte.* Id. Od. III. 10. 7, *audis quo strepitu janua remugiat.* Tib. II. 1. 25. Sil. It. XII. 7. 13.

Sed fit etiam haud raro, id quod grammaticos non fugit, ut enuntiatio secundaria, per indicativum elata, interrogativa esse videatur, sed, ut modus verbi apte explicari possit, pro relativa sit accipienda. Itaque, quam ob causam in his locis indicativus positus sit, recte explanant: Cic. Cat. M. 4. 12, *nihil est admirabilius quam quomodo ille mortem filii tulit.* Ejusd. Leg. I. 9. 27, *oculi, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur.* Eadem in causa saepe sunt enuntiationes particulae *ut* subjectae, ut illud *ut* pro relativo adverbio habendum sit, non pro interrogativo. Atque ita se rem habere, in his exemplis lucide apparet: Plaut. Bacch. V. 1. 11, *omnia, ut quicque actumst, memoravit.* Ejusd. Amph. II. 1. 52, *omnia, ut quicque actumst, edissertavit.* Men. IV. 3. 5, *uxor rescivit rem omnem, ut factumst, ordine.* Sall. Cat. 47. *omnia, uti gesta erant aperit.* Quint. XII. 8. 6, *si omnia scriberent, uti gesta sunt.* Nimirum in illis locis omnibus suum cuique verbo adpositum est objectum, ut per enuntiationem secundariam nihil aliud quam actionis ratio modusque describatur. At aliquanto forsitan latius hic loquendi usus pateat; nam saepe etiam, ubi, quum nullum primariae enuntiationi adpositum sit objectum, sententia secundaria, particulae *ut* subjecta et per indicativum elata, objecti partes sustinere videtur, *ut* pro relativo accipiendum est, ut rationi modoque actionis definiendo secundaria sententia inserviat et verbi primariae enuntiationis, quod simpliciter (absolute, ut ajunt) positum esse videatur, objec-

---

[1]) Uno loco Od. I. 14. 3, nonnulli codices habent: nonne vides, ut nudum remigio latus antennaeque *gemunt,* sed ea lectio, quam tuentur optimi codices, *gemant* etiam in editiones plurimas est recepta.

tum aliquod audiatur. Cujus generis, nisi fallor, haec sunt exempla: Plaut. Asin. II. 2. 100, *abi ad forum ad herum et narra, haec ut nos acturi sumus.* Id. Trin. III. 3. 21, *edoce eum, uti res se habet.* Id. Rud. IV. 6. 7, *eloquere, ut haec res obtigit de filia.*

Ut vero jam ad eas interrogationes obliquas veniamus, quae particulae *ut* subjectae et per conjunctivum elatae sunt, de hoc tam pervulgato genere nihil paene aliud est quod moneamus, nisi ut in interrogationibus non pendentibus, ita in his quoque significationem illam, quae particulae *ut* propria est, modi et rationis nisi apud antiquissimos scriptores perraro totam retineri. Recentiore enim tempore atque adeo jam ante Ciceronis aetatem per hanc verborum conjunctionem res aliqua aut declarata aut sensibus percepta ita definiri solet, ut declaratio illa vel perceptio, quae vel per dicendi vel per sentiendi verbum efferatur, potius ad ipsam rem quam ad modum rationemque rei transferatur. Quod si ita est, sententia interrogativa ad accusativi cum infinitivo juncti significationem et similitudinem proxime accedit illa quidem, sed multo arctioribus ejus usus circumscribitur terminis. Nam per eam eae solae res exprimi possunt, quae aut declarari aut sentiri aut etiam cognosci, non eae, quae existimari aut optari aut denique animi affectus movere indicantur. Itaque cum declarandi et sentiendi verbis *ut* componi potest, cum existimandi, voluntatis, affectus non item. Sed apud Plautum, Terentium, ceteros, qui iisdem fere temporibus fuerunt, quemadmodum supra indicavi, *ut* modalem vim haud raro servat, ut Plaut. Aulul. I. 1. 39, *rogitant me, ut valeam.* Ejusd. Curc. III. 65, *jam scis, ut convenerit.* Ter. Eun. IV. 7. 30, *scin tu, ut tibi res se habeat.* Turpil. v. 14. Ribb. *ab initio ut res sit gesta enoda mihi.* Caec. Stat. v. 206. Ribb. *quos neque ut apprendas neque uti dimittas, scias.* Neque apud recentiores ea omnino desunt exempla, in quibus *ut* idem atque *quomodo* declaret. Sall. Cat. 5, *ut paullatim ex pulcherrima pessima ac flagitiosissima facta sit, disserere.* Cic. in Pis. 2. 3, *omitto ut sit factus uterque nostrum.* Quint. X. 1. 23, *easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire.* [2]) At

---

[2]) Hoc loco mihi non videor a proposito longius esse aberraturus, si de ea loquendi consuetudine nonnihil addiderim, qua *ut* particula (ex similitudine notissimae formulae *ita est)* verbo substantivo adjuncta, praedicati, quod vocant, partes sustinet. In quaestionibus non pendentibus nullum ejus usus inveni exemplum, sed in obliquis comici haud raro cum verbo, quod est *esse, ut* conjungunt, ut hic loquendi usus a quotidiana sermonis consuetudine

vero his locis, quos nunc sum allaturus, in quibus, si positus esset accusativus cum infinitivo junctus, nulla facta esset sententiae commutatio, mirum in modum principalis illa modi significatio obscurata est, ut jam non possit particula, quae est *quomodo*, pro *ut* substitui. Ter. Andr. I. 1. 8, *ut semper tibi apud me justa fuerit servitus*, scis. Id. Hec. I. 2. 70, *narrat, ut virgo ab se integra etiam tum siet.* Cic. Cluent. 25. 67, *non ignoratis, ut etiam bestiae fame monitae plerumque ad eum locum, ubi pastae sint aliquando, revertantur.* Cic. Fin. V. 18. 48, *videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus deterreantur.* Virg. Aen. VII. 206, *memini Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes.* Tib. I. 8. 17, *quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes alba Palaestino sancta columba Syro.* Ovid. Met. XIII. 826, *potes ipsa videre, ut vix circumeant distentum cruribus uber.* Tac. Hist. I. 37, *auditisne, ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur.*

Interrogationem particulae *ut* subjectam ad animi affectum transferri posse supra negavimus. Qua tamen in re vereor, ne parum caute egerim, si quidem Wundero [3]) adsentiendum est, *ut* etiam, quum timendi verbis jungatur, interrogativam vim sibi vindicare. At haec Wunderi sententia, quum ab ipso obiter adumbrata potius quam explicata et diligenter examinatis omnibus argumentorum momentis comprobata esset, tum a doctis viris omnibus, qui de ea judicium fecerunt, repudiata est atque rejecta. At si ad diligentiorem rei inquisitionem descendimus, nonnulla videntur afferri posse, quae ad sententiam illam probandam et commendandam valeant. Hoc autem viri docti, qui particulae *ut* cum timendi verbis conjunctionem explicare conati sunt, omnes fere sibi persuaserunt et tenendum esse censuerunt, Latinos his verbis notionem voluntatis subjecisse et hac notione adductos esse, ut ei particulae, qua etiam alias consilium et voluntas efferri soleret, enuntiationem secundariam ex horum

---

non alienus fuisse videatur. Plaut. Amph. prol. 104, vos novisse credo jam, ut sit meus pater. Pseud. IV. 4. 1. Ter. Heaut. II. 343. III. 1. 27. De relativo adverbio mox videro.

[3]) In Jahnii Annal. 1827, p. 157. — Wunderum fugit jam Sanctium in Minerva (L. IV. Cap. XV.) eandem fere sententiam amplexum esse. Sed is, quum ad particularum, quae sunt quomodo et quemadmodum, cum timendi verbis conjunctionem attenderet, idem etiam nonnulla attulit exempla, in quibus, quin ea adverbia relativam vim haberent, non dubitandum esset. Unde suspicari licet, Sanctium ne *ut* quidem interrogativum a relativo satis sejunxisse.

verborum potestate aptam adnecterent. Itaque quod quis fieri optaret sed idem non futurum esse putaret, id post timendi verba in sententia neganti per *ut* particulam non negantem efferri [4]). At ista voluntatis et optationis notio, qua in timendi verbis latente, ut haec verba cum *ut* componerentur, factum esse statuunt, in tota enuntiationis forma et nexu posita est. Namque verendi, metuendi, timendi verba, si iis tam insignis inesset voluntatis notio, ut propter hanc ipsam cum finali enuntiatione essent componenda, ad verborum voluntatis similitudinem proxime accederent, et qui fieri potuisset, ut haud raro cum interrogativa sententia conjungerentur, in obscuro esset. Jam vero ne id quidem ad explicandum facile esset, quam illis verbis subjicientes significationem, ii scriptores, qui cum accusativo et infinito verbo ea composuerunt, per hanc conjunctionem nullo adposito neganti vocabulo eandem exprimere potuissent sententiam, quae etiam per finalem enuntiationem a particula *ne* incipientem efferretur. Neque enim huic difficultati satis aptum afferunt remedium, si qui timendi verbum, prout ipsa pendentis sententiae forma ferat, aliam alio loco significationem sibi vindicare statuunt, ut cum accusativo et infinito verbo junctum idem sit atque *sollicitum putare,* cum interrogativa sententia compositum (timeo quid eventurum sit) idem declaret atque *sollicitum esse,* cum *ut* aut *ne* junctum (timeo *ut* — *ne* — id eveniat) pro eo quod est *sollicitum optare,* sit accipiendum. [5]) Quare si explicatio vulgata et compluribus probata nonnullis laborat difficultatibus, jam quaerendum est, num quid obstet, quominus post timendi verba, si quidem his anxietatis et curae notio quaedam infuerit, *ut* antiquitus interrogativam et modalem vim habuisse credamus, ut illud Plautinum Bacch. IV. 5. 2. *metuo, ut hodie possim emolirier,* si de prima et principali significatione quaeras, idem sit atque: anxius sum, qua ratione emoliri possim. Atque hoc primum omnium satis constat, tantum abesse, ut verba timendi cum interrogativa sententia jungi non possint, ut

[4]) Quod Handius (in Tursell. IV. p. 46.) Latinos per contractionem quandam orationis *timeo ut sustineas, timeo ne eveniat* pro eo quod dicendum esset: *puto non fieri, ut sustineas, cupio non fieri ne eveniat,* dixisse et istam explicationem formulis illis comparatis, quae sunt *verisimile est, verum est ut,* firmari putat, id non opus est, quale sit, investigare. Neque enim cuiquam nisi ipsi Handio ea sententia unquam probari potuit.

[5]) Ut dubitem an non insit particulae *ut* finalis significatio, etiam hoc adducor, quod in finalibus sententiis *ut* et *ne* saepissime jungi, post timendi autem verba *ut ne* nullo loco poni video.

contra satis multa hujus conjunctionis exempla inveniantur. Quorum pauca attulisse satis erit. Plaut. Truc. IV. 3. 35, *jam metuo patres quot fuerint.* Ter. Phorm. I. 3. 26, *timeo miser, quam hic nunc mihi nunciet rem.* Cic. Att. VII. 7. 3, *vereor, quid sit.* Virg. Aen. I. 670, *vereor, quo se Junonia vertant hospitia.* Quid? quod etiam *ut* in antiquiore loquendi consuetudine ita usurpatum reperitur, ut, quin primam illam interrogativam et modalem vim retineat, dubitari non possit. Ter. Heaut. I. 2. 15, *timet omnia: patris iram et animum amicae, ut erga se sit suae.* Hoc loco, quippe quo *ut* cum verbo substantivo junctum praedicati munere fungatur, pro eo neque *quomodo* neque *quemadmodum* substitui potest [6]. Sed multis aliis locis vel *quomodo* vel *quemadmodum* timendi verbis subjungitur, quum id agit is, qui loquitur, ut modum rei, non rem ipsam anxietatem injicere declaret. Velut Cic. Mil. 28. 77, *esset timendum, quonam modo id ferret civitas.* Id. Fam. XI. 10. 4, *haec quemadmodum a te explicari possint aut a te quum explicabuntur, ne impediantur, timeo.* Auct. ad Herenn. IV. 37. 46, *vereor, quomodo accepturi sitis.* Jam si quaeritur, num in his exemplis pro iis adverbiis *ut* substitui possit, antiquissimis temporibus, quominus id fieret, nihil obstitisse credo. Sed quum *ut* interrogativum in omnibus fere loquendi formulis magis magisque principalem illam modi significationem deposuerit et pro eo ad modum designandum vel *quemadmodum* vel *quomodo* positum sit, tum etiam in hac conjunctione sententiarum verisimile est jam ante prima litterarum Latinarum tempora ad eam regulam hominum loquendi consuetudinem dirigi coeptam esse, ut post timendi verba per enuntiationem particulae *ut* subjectam res ipsa, quam quis timeret vel de qua quis anxius esset, per *quomodo* autem vel *quemadmodum* modus ejus rei significaretur. Atqui perspicuum est, eam rem, quae qua ratione perfici possit, anxius sis, talem esse, ut et ne perfici non possit timeas et ut perfici possit, optes. [7]) Ita hoc *ut* quamquam ipsum

---

[6]) Neque enim credo ea adverbia in sententia interrogativa ita cum verbo substantivo unquam componi, ut, praedicati vices sustineant. Müllerus in Philologo IX. p. 623, ad hoc genus locum illum Ciceronis retulit: Att. IV. 2. 1, declaravit omnes res nostrae, quemadmodum essent, ut in secundis, fluxae, ut in adversis, bonae; sed in hac enuntiatione adjectiva, quae sunt *fluxae* et *bonae,* cum verbo substantivo sunt conjungenda. Apud Plautum in Bacch. III. 3. 70, relativam significationem *quemadmodum* sibi vindicat.

[7]) Omnibus fere iis locis, in quibus per *ut* timendi verbis subjectum res non optata indicari videatur, ut idem atque *ne* declaret, nunc quidem lectio aut ex codicum auctoritate

antiquitus interrogativam et modalem vim habuit, ad finalis particulae similitudinem prope accedit. [8])

At huic, quam proposuimus, explicationi sunt quae repugnare videanter. Nam forsitan quispiam negaverit (atque id ipsum jam Gernhardum negasse video) ad explanandum eum usum, quo *ne* cum timendi verbis conjungatur, eam quidquam omnino valere, nec posse, qua ratione *ut* ponatur, satis apte explicari, nisi cum usu particulae ipsi contrariae, quae est *ne*, comparetur. Audio, sed principalis particulae *ne* significatio atque usus adeo non cum vi usuque particulae *ut* ullo cognationis vinculo continentur, [9]) ut probabile esse videatur, etiam ubi eae particulae, quum significationes recipiant inter se contrarias, eodem tamen modo usurpentur, initio iis subjectas fuisse diversi generis notiones. [1]) Atque *ne* antiquitus adverbium negans fuit, nec ab particulae, quae est *non*, significatione multum abfuit, sed paullatim ejus usus ita mutatus est iisque finibus circumscriptus, ut nisi in vetandi et optandi formulis

---

aut ex aliis certis judicandi notis ita emendata est, ut ab vulgato grammaticorum praecepto non abhorreret. Quod nuper demum apud Livium XXVIII. 22. 12, factum esse video, ubi Madvigius simili loco Liviano collato III. 3. 2, pro *ut* auderent *ne* auderent legi jussit. Apud Horatium in notissimo loco Sat. I. 3. 120, nam ut ferula caedas meritum majora subire verbera, non vereor; haud scio an explicatio Haasei (ad Reisigii Schol. in adnotatione 489) probanda sit. Nam ibi enuntiatio particulae ut subjecta, quum per eam res non probabilis, non verisimilis exprimeretur, eandem induit formam atque si *non verisimile est* (i. e. id non facile fieri potest) subsequeretur, ab cujus loquendi formulae significatione *non vereor* non ita multum abhorret.

[8]) Quae de particulae *ut* significatione diximus, ea comparatis iis scriptorum Graecorum locis, quibus cum *ὅπως* et *ὡς* timendi verba junguntur, firmari mihi videntur. Nam *ὅπως*, quod pro interrogativo accipiendum est, idem fere atque latinorum *ut* declarat. Quocirca Euripideum illud: *ὅπως λάθω δέδοικα* ita vertere licet: ut (quomodo) lateam, timeo, Contra *ὡς* post timendi verba non modo non a particulae ut significatione prope abest, sed ne finalem quidem vim sibi vindicans eodem modo ponitur, quo Latini nonnunquam accusativum cum infinitivo junctum iis verbis subnectunt. Xen. Cyrop. V. 2. 12, *μὴ φοβοῦ ὡς ἀπορήσεις* ne timeas te desideraturum esse.

[9]) De origine particulae *ne* Boppius disputat l. l. §. 371.

[1]) Quod ut confirmem exemplo aliunde adsumpto, ea in re complures grammatici (Krügerus §. 462. Madvigius 352. 440. Anm. 4. Zumptius 529. 573. Feldbauschius 536. Anm.) consentiunt, quod particulae *ut* in concedendo usum (Cic. Or. II. 4. 18, ut quaeras omnia, non reperies) ab *ne* (Liv. XXXI. 7, ne aequaveritis Hannibali Philippum; Pyrrho certe aequabitis) diversum esse statuunt. In ejusmodi enim loquendi formulis *ne* adverbii partes sustinet, et ipsae enuntiationes, in quibus ponitur, suae sunt potestatis nec ab ulla

jam nullum paene locum haberet. Ejus autem particulae, quae est *non*, propria et peculiaris vis in negando cernebatur. [2]) Sed ex eo demum usu, quo *ne* adverbii partes sustinuit, effectum est, ut in conjunctionem mutari posset. Itaque sententia ab *ne* conjunctione incipiens, si propria ejus et peculiaris vis spectatur, sui juris nec ex ulla alia suspensa dici potest, ut per eam ipsam aliquid ne fiat aut optari aut vetari indicetur. Sed sensim fieri potuit, ut ea cum alia enuntiatione, si modo per hanc vel optatio vel contentio aliqua designaretur, arctius coalescens jam secundariae sententiae partibus fungi inciperet. Velut *te hortor, ne animo deficias,* antiquitus ita interpretari licuit: jag uppmanar dig; du må icke låta modet falla. Quum autem ita ad alteram alteri subjungendam sententiam *ne* adhiberi coeptum esset, conjunctionis jam munus tuebatur. Eodem modo etiam is particulae usus, quo timendi verbis subjicitur, satis apte explicari potest, ut enuntiationem ab *ne* incipientem initio sui fuisse juris et per eam aliquid ne fieret, optari indicatum esse statuamus; tum autem cum timendi verbo arctius conjungi et ab ejus potestate aptam fieri coepisse. Itaque haec loquendi formula: *timeo ne moriatur* primo idem declaravit atque: jag är rädd; må han icke dö; postea autem sententia illa *ne moriatur* cum timendi verbo ita coaluit, ut jam objecti munus tueretur. [3]) Jam, si quis, quum etiam *ut,* nulla adposita primaria enuntiatione, in optandi et jubendi formulis apud antiquissimos scriptores usurpari viderit, [4]) eodem modo eam loquendi consuetudinem, qua *ut* cum timendi verbis conjungatur, ortam esse suspicatur, vereor, ne non sit prudentis, obscurae sane et difficilis rei explicationem ab ea linguae proprietate repetere, quae ipsa, unde nata sit, ambigi possit.

Inter omnes constat post timendi verba *ne non* haud raro poni, ubi etiam *ut* usurpari posse videatur. Apud optimos autem scriptores *ne non* ita fere

---

alia pendent. Contra particulae *ut* sententia subjungitur ex alia pendens, in qua si neganti voce utendum est, *ut* cum *non* componi solet. Velut Cic. Phil. XII. 3. 8, ut non referat pedem, insistet certe.

[2]) Cfr. Quintil. I. 5. 50.

[3]) Conferri possunt F. Bragii Meditationes Philologae p. 17.

[4]) Velut his locis fieri videmus: Plaut. Pers. II. 4. 19. Ut liceat servom tibi maledicere. Cato Orig. p. 9 Jord. Jupiter, uti nos victores facias. De quo loquendi usu alio tempore videro.

usurpari solet, ut negans particula *non* uni alicui verbo adjungatur et cum eo paene in unam negantem notionem confundatur. Cic. Att. VII. 12. 2, *si manet, vereor, ne exercitum firmum habere non possit.* Id. Ibid. II. 19. 3, *vereor, ne non liceat.* Id. Ibid. V. 18. 1, *unum vereor, ne senatus propter urbanarum rerum metum Pompejum nolit dimittere.* [5]) Sed illud a proposito nostro fortasse alienum, ea autem loquendi regula non est silentio praetereunda, quam afferunt nonnulli grammatici, [6]) quum, si ipsi timendi verbo adposita sit negandi nota, semper *ne non* pro *ut* substitui tradunt. Quae linguae proprietas unde nata esset, ii, ut qui in ipsis timendi verbis aliquam optandi notionem inesse statuissent, ita sibi visi sunt satis apte explicare, ut, si timor adesse negaretur, etiam ipsam optationem mutari nec jam eandem esse docerent. At ista explicatio neque per se satis plana est neque ea, in qua acquiescere possimus. Neque vero ad eam confugere opus est, si quidem id praeceptum, cujus causam et rationem explicare volunt, ipsum est pravum. Nam etsi hoc verum est, paene omnibus locis, in quibus timendi verbo aliqua negandi nota adponatur, pro eo, quod est *ut, ne non* substitui, tamen plurimi eorum locorum ejus sunt generis, de quo supra dixi, ut negans particula uni alicui verbo sit adjungenda nec ad totam sententiam negandam valeat. Cic. Fam. II. 5. 2, *non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat.* Id. Ibid. II. 6. 2, *neque sum veritus, ne sustinere tua in me merita vel innumerabilia non possem.* Id. Fin. I. 10. 34, *quid est, cur verear, ne ad eam sententiam non possim accommodare Torquatos nostros?* Praeterea et his locis et aliis, qui non sunt plane ejusdem generis, fortuito neque ex ulla certa sermonis regula factum esse, ut pro *ut* scriptores *ne non* usurparent, ex eo suspicari licet, quod uno certe loco post *non vereor* particula, quae est *ut,* posita invenitur. Cic. Phil. V. 18. 48, *ne verendum quidem est, ut tenere se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus utatur.*

At etiam id satis memorabile est et tale, ut explicationem meam infringere videatur, quod nullo omnino loco, qui quidem exstet, Latini post timendi verba *ut*

---

[5]) Quae recentissimae aetatis fuisset loquendi consuetudo, accuratius inquirere non licuit; sed ex eo, quod Donatus ad Terentium pluribus locis, ut Andr. I. 5. 42. III. 2. 12, *ut* post timendi verba positum pro *ne non* accipiendum esse docet, conjicere posse mihi videor, *ut* ab horum temporum sermonis usu intermitti et pro eo *ne non* semper substitui coeptum esse.

[6]) Ut Reisigius l. l. 319. Kruegerus 577. Anm. 1. Schultzius. 349. Anm. 2.

non posuerunt, id quod ne facerent, si sententia ab *ut* incipiens pro interrogativa accipienda fuerit, nihil videtur obstitisse. Sed reputandum est, me de ipsa origine, ex qua nata esset illa linguae proprietas, ita dixisse, ut, quum *ut* antiquitus interrogativam vim sibi vindicans timendi verbis subjici coeptum esse statuerem, idem facile concederem, principali modi significatione sensim obscurata, etiam voluntatis et desiderii notionem per totum enuntiationis nexum exprimi potuisse. Atqui ita *ut* ad finalis particulae vim prope accessisse. Quod si ita factum est, quid est, cur miremur, ex eadem loquendi regula, ad quam in finalibus enuntiationibus sermonis consuetudo dirigeretur, etiam post timendi verba Latinos ad eam rem, quae quis ne fieret, optaret, indicandam *ut non* usurpare noluisse.

Diu multumque dubitavi, num ea loquendi consuetudo, qua *ut* in obliquis interrogationibus usurpatum est, tam late patuisset, ut etiam particulae in fine consilioque designando usus dici posset ex eo quasi fonte manasse. Neque enim is eram, qui negarem, nonnunquam, quum ei verbo, quod etiam cum interrogativa sententia componi posset, enuntiatio ab *ut* incipiens adjungeretur, huic particulae interrogativam vim subjici posse. Itaque quam Caes. b. Gall. I. 20, monendi verbo subjunxit enuntiationem: *ut suspiciones vitet*, eam fortasse ex antiquissima sermonis Latini consuetudine ita explicari potuisse concedendum est: qua ratione vitet (vitare possit), modo etiam hoc teneamus, in ejusmodi quoque loquendi formulis jam multo ante Caesaris tempora, obscurata prima illa modi significatione, per *ut* monendi verbo subjunctum non rei modum sed rem ipsam indicari coeptam esse. Eadem in caussa etiam hi loci esse potuerunt: Sall. Jug. 14. 1. praecepit, ut regni procurationem existimarem meam, Caes. b. Gall. VII. 21, statuunt, ut duo millia hominum mittantur; Cic. Rep. II. 12. 23, tentabat, ut ipse gereret rempublicam al. [7]); in quibus exemplis, si quis ab antiquissimorum temporum loquendi usu disputationem suam ducens, particulam *ut*, interrogandi vi deposita, in finalem conjunctionem mutatam esse docuerit, ego adeo non repugnabo, ut etiam eas enuntiationes, quae per *ut* particulam verbis, quae sunt: videre, cavere, curare,

---

[7]) Cfr. Ter. Andr. III. 4. 65, moneo, quid facto opus sit. Caes. b. Gall. V. 56, quae fieri velit, praecipit. Cic. Att. VII. 26, ut statuerem, quid esset faciendum. Cic. Tusc. I. 47, tentavi, quid possem,

prospicere, meditari, suadere, sim. subjunctae objecti partes sustineant, antiquitus pro interrogativis sententiis accipi potuisse facile concedam. At, ut vel eae enuntiationes, quae objecti munus ita tuentur, ut etiam, quid spectet actio, indicent, non omnes istam admittunt explicationem, ita permultae illae sententiae finales, per quas, quo consilio suscepta sit actio, sic indicatur, ut tamen pro objecto actionis non possint accipi, ab ea interpretatione abhorrent. In his autem sententiis quin *ut* relativam sibi vindicaverit significationem et consilii atque voluntatis notio per ipsum conjunctivum exprimatur, non dubitabit, quisquis perpenderit, quam saepe iis sententiis, quae ab pronomine relativo incipiant et per conjunctivum efferantur, consilium exprimatur. Ita adducimur, ut finalem particulae *ut* significationem a relativa vi plerumque manasse statuamus, sed tamen iidem non negemus, sicut in Graeca lingua et per *ὅπως,* quod interrogativum sit [8]) et per *ὡς,* quod relativum, sententiae finales enuntiationi primariae subnecti soleant, sic etiam apud Latinos nonnunquam ab eo, de quo disputavimus, particulae *ut* in quaestionibus obliquis usu etiam hanc, de qua nunc quaerimus, proprietatem satis apte repeti posse. Similiter haud raro duo fluvii, qui vel ex eodem vel ex vicinis fontibus manarunt, postquam diu in suam uterque partem profluens multas terras, multas hominum gentes et urbes lustravit, tandem confunduntur suasque undas ita, ut jam non discerni possint, inter se miscent. Sed utcunque est, sive particulae *ut* in finalibus sententiis usus totus ex relativa hujus particulae significatione repetenda est, sive etiam interrogativa ejus vis ad eam linguae proprietatem importandam aliquantum valuit, alio demum tempore ea quaestio nobis accuratius erit retractanda.

II. Ut relativum.

1. *ut* in modi comparatione.

Jam eo disputatio nostra perducta est, ut de *ut* relativo adverbio modali sit disserendum. Ex hac autem vi adverbiali *ut* in conjunctionem comparativam abiit. Quod qua ratione fieri potuerit, adeo non difficile est ad intelligendum, ut contra, quod inter adverbium et conjunctionem intercedat discrimen, vix

---

[8]) Cfr. Madvigii Graesk Ordföiningslære 123. Anm. 1. Krügeri Griech. Sprachl. I, p. 563. *Ὅπως* ist eig. relatives Fragewort, wie, quomodo.

liqueat. Eas particulas adverbia dicimus, quibus id spectatur, ut aut descriptionis, quae per adjectivum exprimatur, aut actionis vel condicionis, quae per verbum, modus aut gradus, quem vocant, aut locus aut denique tempus accuratius definiatur. Conjunctiones eae sunt, quibus aut singularum vocum aut enuntiationum conjunctio inter se et nexus denotatur. Atqui *ut* relativum est adverbium; relativa autem vel adverbia vel pronomina ad notionem aliquam enuntiationis primariae ita referuntur, ut per enuntiationem secundariam, quae ab relativo incipiat, accuratius ea notio describi indicetur. Unde efficitur, ut etiam per relativa sententiae primariae cum secundaria conjunctio et nexus designetur. Quod si ita est, adverbium relativum, quod est *ut,* conjunctionis vim facile recipere potest, ut tamen principalem illam modi significationem initio non deponat. Itaque enuntiationem secundariam particula *ut* primariae sic subjungit, ut rei, quae per hanc efferatur, modum et rationem per illam accuratius circumscribi declaret. Eas autem conjunctiones, quae ad modum alicujus rei definiendum adhibentur, comparativas dicere licet, si quidem per eas, ut rei, quae per primariam sententiam efferatur, modus designetur, primariae cum secundaria instituitur comparatio. Jam si quaeritur, quid inter adverbium et conjunctionem intersit, illud semper cum uno primariae sententiae vocabulo (correlatum dicunt) arctissime est conjunctum, haec nulli vocabulo respondet. Sed in hac disquisitione, ne, quae inter se cohaererent, ea dissolverem, adverbium a conjunctione non distinguendum aut sejungendum censui.

Particulae *ut,* quoniam ab initio relativa est, demonstrativum aliquod adverbium, in primaria sententia positum, ut jam indicavi, saepe respondet. Sunt autem ea, quae particulae *ut* saepissime opponi solent, haec fere: *ita, sic, item, itidem.* [9]) Neque est cur miremur, quod pro iis nonnunquam substituuntur: isto (eo) modo, eodem pacto, pariter, similiter, quae omnia idem fere atque

---

[9]) Particulam, quae est *sic,* ita cum *ut* in unum verbum conflari posse, ut huic verbo aliud *sic* respondeat, tum paullo copiosius demonstrabimus, quum ad copulatum illud sicut retractandum inquisitio nostra perducta erit. Hoc loco monere satis est etiam *ita* cum *ut* nonnunquam eodem modo coaluisse, ut in primaria sententia *ita* denuo poni posset. Cujus rei Handius in Tursell. III. p. 470 exempla collegit. Quid? quod Auct. ad Herenn. IV. 48. 61, post *ita ut* in similitudinis exemplo afferendo *item* posuit. — Jam si cui videbimur eum loquendi usum, quo cum his omnibus demonstrativis junctum sit *ut,* minus copiose tractasse, perpendat velim de illo usu et lexicographos multa jam attulisse et Handium s. v. *ita, item, itidem* satis accurate disseruisse.

illa declarant. Cic. Nat. Deor. I. 21. 59. Plaut. Capt. IV. 1. 11. Cic. Acad. II. 15. 47. Titin. v. 79. Ribb. Pacuv. v. 248. Ribb. Cic. Tusc. IV. 18. 41. Hoc autem magis notabile est, quod in iis loquendi formulis, quae sunt *non aliter, non secus,* ea quae in particulis aliter et secus inest diversitatis notio, addita neganti voce, ita tolli atque adeo in similitudinis significationem mutari potest, ut post eas pro *atque* vel *quam* etiam *ut* possit substitui. Hor. Od. III. 25. 12, *non secus stupet Evias, ut mihi devio ripas et vacuum nemus mirari libet.* Ovid. Metam. IX. 640. *ut — non aliter.* Virg. Aen. I. 397. IX. 551, cfr. X. 454, *ut — haud alia* [1]). Jam vero, ad quod attendas, etiam id dignum est, quod non solum cum *idem* (ibi quoque, ubi nulla modi adposita est significatio) sed etiam cum *par* et *similis* pro eo, quod est *atque, ut* haud raro componitur. Ter. Hec. IV. 1. 29, *ut olim te ostendisti, eadem esse nil cessavisti usque adhuc.* Cic. Tusc. II. 3. 9, *disputationem exponimus eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est.* Liv. XXIII. 43. 11, *si paria essent, ut quondam fuissent.* Cic. Cat. M. 6. 17. Ex ejusmodi autem loquendi formulis suspicari licet, relativam quoque particulam principalem modi significationem paullatim exuisse, ut jam in universa rerum comparatione usurpari posset. Contra eae particulae, quae sunt *quomodo* et *quemadmodum,* primam illam vim haud facile abjiciunt. Neque tamen ita vel mutata est vel dilatata particulae *ut* significatio, ut in duarum rerum comparatione cum *tam* componeretur [2]),

---

[1]) Non posse aut *aliter* aut *secus,* nisi praeposita neganti voce, cum *ut* conjungi, idcirco monitum velim, quod fuerunt, qui apud Cic. Rep. I. 4. 7. hujus conjunctionis exemplum putarent exstare. At in his: si aliter, ut dixi, accidisset, formulam illam *ut dixi* nihil aliud esse atque: quemadmodum dixi, jam Handius recte docuit (I. 269), qui tamen ipse, qualis esset hic locus Plautinus (Capt. III. 5. 86): vale atque salve, etsi aliter ut dicam meres, perperam explicavit, quum *aliter ut* pro *aliter atque ut* dici contenderet. Nam ibi perspicuum est conjunctionem, quae est *ut,* ad sequens merendi verbum referri, *aliter* cum *dicam* conjungi oportere (ehuru du förtjenar att jag yttrar mig annorlunda, etsi dignus es, quem non jubeam salvere). Idem Handius fieri nonnunquam, ut, quum particulis *aliter* et *pariter* jam *atque* subjectum esset, etiam *ut* adponeretur, et docuit et exemplis allatis comprobavit. Quae linguae proprietas unde nata sit, vix opus est declarare. Nam in hoc exemplo: quod iste aliter atque ut edixerat decrevisset (Cic. Verr. Act. II. 1. 46. 119), facile patet, *ita* ante *ut* audiri, quod si additum erit, haec exsistet sententia: quod aliter atque (i. e. non) ita, ut edixerat, decrevisset.

[2]) Quod negat Krügerus (Gramm. II. p. 795. n. 2) *ut,* nisi in consecutiva sententia, cum *adeo* componi, id falsum est. Nam apud comicos *ut* haud raro etiam in rerum com-

id quod tum solum, quum ad effectum alicujus rei designandum ut adhiberetur, factum esse constat.

Praeterea etiam cum *proinde* et *perinde* in comparatione instituenda *ut* conjungi solet. Quid autem *proinde* significaret, Ellendtius ad Cic. d. Or. III. 20. 74, ita explicavit, ut, quum monuisset, quam *pro* in his formulis vim reciperet: *pro portione, pro virili parte* (quibus addi potuerunt *pro quam* et *prout)* in quibus aliqua rei cum judicandi modulo convenientia designaretur, *proinde* idem atque *inde pro re nata* declarare statueret [3]). Nec abhorret ab hac explicatione notissimus particulae usus, quo enuntiationem sequentem cum iis, quae proxime antecedunt, ita connectit, ut ipsa conclusivae, quam dicunt, conjunctionis partes videatur sustinere (proinde vos hinc amolimini Ter.), nisi quod ita nunquam varius nec mutabilis sed semper certus et definitus judicandi modulus designatur: pro hac re vel huic rei convenienter. In hoc autem usu *proinde,* quum ad eam rem, cujus in proximis facta est mentio, referendum sit, quam ad vim formulae illius: *quod quum ita sit,* prope accedat, nemo est, quin videat. Sed si cum conjunctione comparativa (ut, atque, quasi, tamquam) connectitur *proinde,* per secundariam sententiam ipse judicandi modulus designatur, per particulam *proinde* rei cum modulo congruentia. Atque si cum *ut* componitur, varius et quodammodo mutabilis saepissime significatur modulus (je nachdem), neque tamen semper. His enim locis certus est modulus atque definitus. Plaut. Amph. I. 3. 19, *nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem sic ecflictim amare proinde ut hic te ecflictim deperit.* Id. Ibid. II. 2. 125, *scio istaec facta proinde ut proloquor.* Id. Capt. V. 1. 12, *nunquam referre gratiam possum satis proinde ut tu promeritu's de me et filio;* quibus locis *proinde — ut* idem fere est atque *ita — ut.* Saepius autem, ut dixi, mutabilis designatur modulus, quod si fit, particula

---

paratione cum *adeo* jungitur. Ter. Andr. I. 5. 10, adeone hominem esse invenustum aut infelicem quemquam ut ego sum. Plaut. Epid. IV. 1. 43. Weis. Sed cum adjectivo, quod est tantus, *ut* in simplici comparatione nisi uno loco, quantum scio, non connectitur. Nep. Ages. 4, tanta modestia, ut si privatus esset. Nam in Cic. Ep. ad Brut. I. 9. quum edidisset Orellius: alienum tanto viro, ut es tu, Klotzius ex cod. Oxon. et marg. Cratandr. *quantus* pro *ut* recepit.

[3]) Handius in Tursell. IV. 453, quum rejectis et Ellendtii et aliorum explicationibus, primam significationem *geradehin* fuisse docuisset, eam tantummodo in exemplis recentioris aetatis apparere, ipse concessit.

proinde, principalem vim retinens, eam inter rem et modulum indicat esse convenientiam, ut, prout mutetur modulus, rem quoque ipsam necesse sit mutari. Velut Plaut. Amph. III. 3. 5, *proinde ut heri sint, ipse item sit.* Capt. II. 2. 64, *is, uti tu me hic habueris, proinde illum illi curaverit.* Ter. Hec. II. 1. 21, *uti domi vos mi eritis, proinde ego ero fama foris.* Conferri possunt etiam Plaut. Pseud. II. 3. 13. Amph. II. 1. 18, ubi notio illa varietatis et mutabilitatis adjecto pronomine *quisque* etiam planior fit et apertior. *Perinde* autem, quoniam ex duobus conflatum est verbis: *per,* cujus in amplificando et augendo vis cernitur (valde, magnopere, prorsus), et *inde,* quod quum initio de loco, unde quid moveretur, dictum esset, tum etiam ad modum designandum [4]) adhibitum esse videtur, idem antiquitus forsitan declaraverit atque: *prorsus eo modo, prorsus ita* [5]). Itaque per hanc quoque particulam duarum rerum convenientia et ea maxima atque summa significabatur. Quoniam autem ex iis rebus, quarum instituitur comparatio, altera pro alterius modulo et quasi norma, qua adhibita de hac fiat judicium, accipi potest, facile *perinde,* si non alias, at certe tum, quum sententia additur comparativa, paene eandem atque *proinde* vim assumit. Sed quia propter ambiguitatem compendiorum scribendi ita hae particulae fuerunt inter se permutatae, ut permultis locis alii codices *perinde,* alii *proinde* habeant, quid inter eas intersit, haud facile est eruere. Hoc tamen ex ipsa particulae *perinde* origine colligere licet, perfectissimam et summam rei cum modulo convenientiam per eam indicari. Cum *ut* conjunctum *perinde* eodem modo atque *proinde* vel certum et definitum modulum designat, ut Cic. Fam. IX. 15. 1, *non perinde ut est reapse ex literis perspicere potuisti;* vel incertum et mutabilem, velut Ter. Heaut. I. 2. 21, *haec perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet.* Cic. Off. III. 33. 121, *habes a patre munus, mea quidem sententia magnum, sed perinde erit, ut acceperis.*

Jam si quaeritur, quo verbi modo Latini in comparatione ab *ut* incipiente uti sint soliti, hoc inter omnes constat, ex trita et pervulgata Latini sermonis regula indicativum in ejusmodi enuntiationibus semper fere poni. Quod quidem ex eo ipso efficitur, quod per *ut* in duarum rerum comparatione, si ab

---

4) Cfr. Handii Tursell. III. 366.

5) Vide Haasei ad Reisigii schol. adnot. 416.

eo loquendi usu discesseris, quo *ut* cum *si* jungitur, vera aliqua res, cui alia conferatur, induci solet. Sed ad hanc regulam ex notissima Latinorum loquendi consuetudine sententia comparativa tum non dirigatur necesse est, quum obliquae, ut ajunt, orationi inserta, jam pro dicta solum vel cogitata, non pro vera accipitur. Quod si fit, sicut ceterae enuntiationes secundariae, etiam comparativa sententia particulae *ut* subjecta conjunctivum recipit. Cic. Off. III. 22. 86, *est pollicitus, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum.* Cic. d. Or. I. 39. 179, *in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit.* Nat. D. III. 37. 92. Sall. Cat. 45, *cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit.* Liv. VII. 18. 3, *virtutis ducebant esse, ut accepissent duo patricii consulatum, ita ambobus patriciis mandare.* Sed inde a Livii temporibus haud raro accidit, ut in obliqua orationi sententia ab *ut* incipiens per accusativum cum infinitivo junctum efferretur [6]). Cujus proprietatis in eo posita erat caussa, quod per sententiam comparativam saepe duae res jam componi potius et conjungi quam comparari coeptae erant. Itaque, si eae res, quae componuntur, ejusdem sunt generis, ut non inter se abhorreant, *ut* — *ita* pro eo quod scribi potuerit, *et* — *et* vel *non modo* — *sed etiam* poni apparet; sin autem diversi sunt generis et inter se contrariae, haec formula idem paene atque *quidem* — *sed* significat. Atque id in his exemplis fieri, quis est, quin concedat. Liv. XXIII. 12, *tot acies, ut hostium exercitus delesse, ita victoris etiam copias parte aliqua minuisse.* Id. XXXIII. 45. 7, (scribebant) *ut feras quasdam nulla mitescere arte, sic immitem et implacabilem ejus viri animum esse.* Tac. Hist. I. 17, *militum favorem, ut largitione et ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud spernendum.* Tac. Ann. I. 12, *dixit forte Tiberius, se, ut non toti reipublicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum.* Praeterea, ut in relativis sententiis, ita etiam in comparativis particulae *ut* subjunctis, quas et ipsas proprie relativas esse jam indicavimus, verbum, si primariae enuntiationi cum secundaria commune est, semel ponitur, ut aut in hac aut in illa audiatur. Sall. Jug. 40, *ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem insolentia ceperat.* Cic. Phil. II. 22. 55,

---

[6]) Haec linguae proprietas, quam constat non solum in comparativis, sed etiam in relativis, caussalibus, concessivis enuntiationibus cerni, quibus circumscripta fuerit terminis, accurate explicant Krügerus l. l. §. 651. Reisigius §. 447. Anderssonius De oratione obliqua Latinorum p. 36 sqq.

ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicae belli caussa fuit. Quod si comparativae sententiae omissum est verbum, semper in oratione obliqua, quum primaria sententia accusativi cum infinitivo juncti formam induit, etiam secundariae subjectum ita in accusativum mutatur, ut verbum infinitum primariae audiri appareat. Cujus tamen proprietatis in sententia ab simplici *ut* incipiente nullum inveni exemplum, sed inspectis his locis, in quibus copulata particula *sicut* invenitur, quin verum sit id quod proposuimus praeceptum, nemo dubitaverit. Caes. b. Gall. I. 45, *provinciam suam esse hanc Galliam sicut illam nostram.* Cic. d. Or. I. 18. 82, *quum increbuisset me in caussis sicut te solere versari.*

Ut nunc ad singula ejus loquendi usus genera accuratius pertractanda veniamus, quo *ut* demonstrativo respondens adverbio in comparatione ponitur, paullatim eo deflexam esse sermonis consuetudinem, jam supra obiter indicavimus, ut haec particula cujus proprietas ab initio tota in ea modi comparatione constitisset, qua duae res inter se convenire et similes esse indicarentur, etiam ad multa alia significanda adhiberetur. Itaque per *ut* — *ita (sic)* eae interdum res comparantur vel potius componuntur, quae adeo non inter se similes sint, ut in hoc omnis earum contineatur comparatio, ut, quum non sint similes nec inter se quidquam habeant aliud commune, tamen utraque locum habere indicetur [7]. Sic efficitur, ut particulae quae sunt *ut* — *ita (sic)* ad harum formularum: *et* — *et, non modo* — *sed etiam* significationem prope accedit. Sall. Jug. 2, *corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est.* Vell. II. 33, *in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus, ut qui eos, ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo.* Quae loquendi consuetudo sensim tam late serpit, ut simili modo inter res tam inter se diversas tamque contrarias, quarum si una vera sit, altera vera esse non posse videatur, ea tamen ratio intercedere dicatur, ut, quamquam altera locum habeat et vera sit, tamen etiam altera vera exsistat. Eandem igitur significationem *ut* — *ita* atque *quamquam* — *tamen* vel *quidem* — *sed* assumit. Hic autem loquendi usus ut apud Ciceronem satis raro exstat [8] nec apud Sallustium et Caesarem

---

[7]) Haud scio an recte Schoemannus De partic. *que* I. p. 9.: omnis copulatio primitus sine dubio constabat comparatione quadam duorum, quorum *ut* unum, item alterum esse, *quomodo* unum, eodem modo alterum se habere dicebatur.

[8]) Fam. X. 20, ut errare potuisti, sic decipi te non potuisse, quis non videt? Lael. 4, ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali.

ullum omnino videtur locum habere, ita jam apud Livium aliquanto latius serpsit et argenteae aetatis scriptoribus valde placuit. Liv. IV. 6. 2, *ut fortasse vere, sic parum utiliter in praesens certamen respondit.* Id. XXI. 29. 4, *hoc principium belli, ut summae rerum prosperum eventum, ita haud sane incruentam ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit.* Ovid. Metam. I. 370, *undas, ut nondum liquidas, sic jam vada nota secantes.* Id. Ibid. I. 404. XIV. 509. Vell. II. 59. *Fuit Octavius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia,* Tac. Ann. II. 33, *ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt.* Id. Ann. IV. 37, *ut semel recepisse veniam habuerit, ita omnes per provincias effigie numinum sacrari ambitiosum.* Quint. III. 6. 12, *quod tamen, ut primum cogitandum, sic non utique primum dicendum erit* [9]).

Dignum etiam hoc est, quod non praetereatur, ad rei veritatem adfirmandam *ut* cum demonstrativo adverbio saepe ita conjungi, ut ea res, quam quis veram esse asseveret per sententiam particulae *ut* subjectam exprimatur et ei respondeat enuntiatio primaria, qua vel ab *ita* (praesertim apud solutae orationis scriptores) vel ab *sic* (maxime apud poetas) incipiente per conjunctivum vel futurum optatio aliqua efferatur. Hanc autem optationem is qui loquitur cum re quam veram esse testatur, sic connectit, ut ita, si vera ea res sit, se velle voti compotem fieri indicet. Plaut. Capt. III. 4. 90, *ita me rex deorum faxit patriae compotem, ut istic Philocrates non est.* Ibid. IV. 2. 99. Truc. II. 2. 23. Curc. IV. 4. 20. Stich. IV. 1. 2. Ter. Heaut. III. 1. 54. *sic me di amabunt, ut me tuarum miseritumst fortunarum.* Ibid. IV. 3. 8; 5. 1. Ad. IV. 5. 48; 7. 31. Hec. IV. 2. 4. Cic. Cat. IV. 6. 11, *ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego non atrocitate animi moveor sed humanitate.* Verr. II. 5. 14. 35. Fam. 21. 1. Ovid. Met. VIII. 869, *sic has*

---

[9]) Alia exempla Bonnellus in Lex. Quintilianeo collegit, sed idem nonnulla quae prorsus ejusdem essent generis, parum recte ita explicavit, ut ad concessivae particulae *ut* usum (antag att) ea referret. Velut hic locus Quint. VI. 3. 11, hoc, ut non ausim dicere carere omnino arte, ita plane affirmo praecipue positum esse in natura et occasione, ab iis, quos supra attuli, non diversus est, nisi quod particulae *ut* conjunctivus potentialis subjunctus est, quem constat apud Quintilianum saepissime usurpari. Nam conferas velim X. 1. 86, ut cesserimus — ita XI. 1. 44, ut deceat — ita XI. 3. 89, ut permiserim — ita. Recte Törnebladhius monuit (De usu partic. ap. Quintilianum p. 33) nonnunquam in posteriore membro *tamen* additum inveniri. Quint. IX. 2. 88. X. 1. 72.

deus aequoris artes adjuvet, ut nemo jamdudum litore in isto constitit. Saepius autem fit et quidem apud poetas saepissime, ut sententia, quam veram esse asseveretur [1]), abjecto *ut,* suae fiat potestatis nec jam ab altera pendeat, haec autem vel *ita* vel *sic* subjecta, qua optatio exprimatur, sine ulla copula illi adponatur vel etiam intexatur. Plaut. Amph. II. 1. 50, *neque, ita di me ament, credebam primo mihimet.* Ter. Eun. III. 2. 21, *ita me di ament, honestust.* Catull. 66. 18, *non, ita me divi, vera gemant, juerint.* Cic. Fam. II. 13. 3. Virg. Buc. 9. 30, *sic cytiso pastae distendant ubera vaccae, incipe, si quid habes.* Id. Aen. IX. 208. Hor. Od. I. 3. 1. Tib. I. 4. 1. II. 6. 30. Ovid. Met. VIII. 859. Facile autem patet, demonstrativa adverbia in his loquendi formulis eandem paene condicionis recipere significationem, quam, sequente vel *si* vel *ut* consecutivo, haud raro adsumunt.

Jam ne id quidem omittendum est, qualis sit frequentissima illa particulae *ut* cum *quisque* conjunctio. Qua si quid significet quaeras, a similitudine formulae illius, de qua supra mentionem fecimus, *proinde* (perinde) *ut* et particulae, quae est *prout,* de qua mox acturi sumus, proxime abest. Ita facile factum est, ut cum *ut quisque* vel *proinde* vel *perinde* componeretur. Plaut. Pseud. II. 3. 13, *proinde ut quisque fortuna utitur, ita praecellet.* Stich. IV. 1. 15, *ut quoique homini res paratast, perinde amicis utitur.* Mox etiam alia afferemus exempla, in quibus particulae, quae est prout, quisque subjiciatur. Constat autem per hoc pronomen, quod est *quisque,* infinitam vel hominum vel rerum, quae ejusdem sint generis, multitudinem designari, non ita comprehensam, ut ad omnes eas vel personas vel res idem eodem modo pertinere dicatur, sed sic dispertitam, ut eadem res ad aliam alio modo transferatur. Haec pronominis vis, quum omnibus locis cernatur, in quibus relativo id subjungitur, tum etiam si cum *ut* componitur, non in obscuro est. Itaque per eam loquendi formulam, qua *ut* et *quisque* ita junguntur, ut vel *sic* vel *ita* illi *ut* respondeat, hoc indicari solet, semper (sed alias alio modo), si res per secundariam sententiam expressa inciderit et vera exstiterit, etiam eam rem, quae per primariam efferatur, existere, et quidem sic, ut inter eas ratio (proportionem dicunt) certa et definita intercedat. Haec autem ratio, qua duae illae res inter

---

[1]) Nonnunquam, id quod ex exemplis supra allatis perspicitur, pro asseveratione substituitur adhortatio.

se continentur quaeque in certa alterius cum altera re convenientia cernitur, apud Ciceronem iis fere circumscribitur terminis, ut ad duo adjectiva componenda et conferenda valeat. Nam is in his loquendi formulis duos usurpare solet superlativos, quorum unus in primaria, alter in secundaria sententia ponitur. Quae verborum conjunctio idem paene significat quod notissima loquendi formula, qua cum *quo* et *eo* duo junguntur comparativi. Neque tamen est hic sermonis usus, quo duo superlativi cum *ut quisque* componuntur, si a Cicerone discesseris, admodum frequens. Turpil. v. 142. Ribb. *ut quisque minimo contentus fuit, ita vitam fortunatam vixit maxume.* Cic. d. Or. I. 26. 120, *ut quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem pertimescit.* Id. Ibid. I. 27. 113. Id. Qu. fr. I. 1. 4. 12, *ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur.* Caes. b. Civ. I. 2, *ut quisque acerbissime dixit, ita quam maxime collaudatur.* Quint. I. 10. 40, *ut quaeque forma perfectissima, ita capacissima est.* Nonnunquam demonstrativum omittitur (Auct. Herenn. II. 29. 46), praesertim si primaria sententia secundariae praeponitur (Cic. Off. I. 5. 19.) Neque raro accidit, ut in primaria enuntiatione ea augendi cumulandique vis, quae per superlativum exprimi possit, aut prorsus nullo verbo declaretur aut per comparativum vel etiam positivum significetur, quod si fit, indicari solet, prout quis ad summum, ut ita dicam, qualitatis alicujus gradum propius adscenderit, ita eum priorem in aliqua serie locum tenere. Cic. Lael. 5. 19, *ut inter omnes esset societas quaedam, major autem, ut quisque proxime accederet.* Q. Cic. pet. cons. 5. 17, *ut quisque est intimus, ut is amet, valde elaborandum est.* Quint. X. 1. 39, *legendos esse Demosthenem et Ciceronem, tum ita, ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus.* Id. II. 5. 20; 12. 11. Cum his, de quibus dixi, loquendi formulis ea sermonis proprietas cognatione quadam continetur, qua in una eademque enuntiatione vel cum duobus (optima quaeque rarissima) vel cum uno superlativo *quisque* jungitur. Jam vero, si non apud Ciceronem, at certe apud alios scriptores saepe fit etiam, ut nullo omnino addito superlativo *ut* et *quisque* componantur. Sed etiam ita, si modo aliqua praestantiae et excellentiae notio per aliud sententiae verbum exprimitur, indicari potest, duas res convenienter augeri atque cumulari. Cic. Cat. M. 18. 64, *ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principatum tenet.* Id. Verr. II. 4. 64. 143, *ut quisque aetate antecedebat, ita sententiam dixit.* Quint. IX. 4. 25, *illud*

nimiae superstitionis, ut quaeque sint tempore, ea facere etiam ordine priora. Id. XI. 1. 29, *ut quisque aetate praecedit, magis est reprehendendus.* Saepius autem hujus conjunctionis vis latius patet, ut jam non ad adjectivorum significationem cumulandam valeat, sed inter duas res, quarum altera pro alterius modulo accipi possit, eam omnino indicet esse convenientiam, ut, prout quaque occasione altera res mutata exstiterit, proinde etiam altera simili obnoxia sit mutationi. Naev. v. 10. Ribb. *ut quisque est meritus, praesens pretium pro factis ferat.* Atti. 263. Ribb. *ut cui quicque obviam fuerat, sic ferrum alius, saxeum alius raudus sumpserat.* Liv. V. 8. 13, *pauci reipublicae, huic atque illi, ut quosque studium privatim aut gratia accupaverunt, adsunt.* Id. XXII. 7. 12, *varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, ut cuique laeta aut tristia nuntiabantur.* Sall. Jug. 60, *eos, uti quaeque Jugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadverteres.* Quint. XI. 1. 42, *aliter pro alio dicendum est, ut quisque honestus, humilis, invidiosus, favorabilis erit.* Haud raro, quae inter duas res intercedere dicitur, ea vel loci est vel temporis convenientia. Plaut. Men. III. 2. 56, *ut quemque conspicor, ita me ludificant.* Liv. XXI. 42. 3, *ut cujusque sors exciderat, arma raptim capiebat.* Id. XXII. 46. 1. *ut quosque traduxerat, ita in acie locabat.* Id. XXII. 51. 6, *jacebant tot millia pedites passim equitesque, ut quem cuique fors aut pugna junxerat aut fuga.* Quod si in temporis notatione convenientia illa cerni indicatur, jam temporalem vim particula *ut* (= simulac) sibi vindicat, ut, quotiescunque ea, quae per secundariam sententiam exprimatur, actio suscepta sit, etiam primariae actionem continuo incipi declaretur. Quum autem hanc vim *ut* recipit, demonstrativum, quod alias saepe ei respondere solet, adverbium tantum non semper omitti, ex iis ipsis, quae attulimus, exemplis apparet.

Quum in multis aliis, tum etiam in eo scribendi proprietas Taciti cernitur, quod non solum more ceteris usitato *quisque* cum *ut* conjungit, neque tamen id saepe [2]), sed etiam multo pluribus locis pro *quisque* pronomen, quod est

---

[2]) Ann. II. 82. Agr. 36. Ann. III. 1. Eo loco, quem postremum attuli, notabilis est etiam pluralis numerus *quique* (ut quique stipendia fecerant), qui quidem quum omnino rarus sit, tum particulae *ut* paene nusquam adjungitur. Qua re fortasse adductus Nägelsbachius (Latein. Stilist. 2 Aufl. p. 252) suspicari posse sibi visus est, Latinos, ubi post *ut* pluralis pronominis *quisque* ponendus esset, *ut qui* semper usurpasse. At ut facile concesserim, apud optimos scriptores pluralem hujus pronominis in masculino et feminino genere

quis, substituit, ut inter *ut quisque* et *ut quis* nihil aliud intersit, nisi quod per illam formulam ad omnia, quae ejusdem sunt generis, aliquid refertur, haec autem ad universum genus non pertinet. Ann. II. 73, *ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.* Ann. IV. 23, *ipsa e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant.* Ann. II. 24. 83. IV. 36. Cfr. Tac. Hist. III. 58. Ann. I. 57, quanto quis — tanto.

Notissimum est, non modo antiquissimos scriptores, sed etiam Ciceronem et Lucretium nonnunquam pro eo, quod est *quidque*, *quidquid* ponere, de quo loquendi usu Madvigius ad Cic. Fin. V. 9. 24. Lachmannus ad Lucret. V. 264, al. copiose disputaverunt. Neque ea omnino desunt exempla, in quibus cum *ut* pro eo, quod est *quidque,* jungatur *quidquid.* Itaque in lege Thoria agraria, quam a. u. c. 643 latam esse statuunt, cap. XVI. haec leguntur: *ita utei quicquid quoieique ante h. l. r. licuit, ita ei habere* (post h. l. r. liceto). Apud Ciceronem *quidquid* cum *ut* tantummodo duobus, quantum scio, locis conjungitur: Cluent. 19. 52, ubi *ut* ad tempus notandum adhibetur et Tusc. V. 34. 98, *bestiae, ut quidquid objectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius,* quo tamen loco Madvigius *quidque* recipiendum censet.

Non alienum erit hic potissimum de duabus particulis nonnihil afferre, quae ex *ut* cum alio verbo conflato ortae sunt et a quibus et ipsis comparativa sententia initium capit, modulum designans, quocum quid convenire indicetur vel quo adhibito de qua re fiat judicium. Particulas dico, quae sunt *prout* et *praeut.* De utraque, quamquam jam Handius copiose egit [3]), tamen ne nos quidem, quo plenior et accuratior nostra fiat disputatio, supervacaneum arbitramur breviter disserere. Atque hoc primum satis constat, quum ea, quae

---

raro, in neutro autem frequentissime usurpari (quae linguae proprietas unde originem traxisset, Haaseus ad Reisigii schol. adnot. 362 acutissime explicavit), ita etiam masculini et feminini pluralis non ita pauca exempla video exstare. Atque cum *ut* non solum apud Tacitum sed etiam ap. Livium XXII. 46. 1, et Sallust. Jug. 60. pluralis ille masculinus et femininus compositus reperitur. Quem locum Nägelsbachius attulit, ut pro *ut quisque* posse *ut qui* poni comprobaret Cic. Off. I. 7. 20, (ut qui quondam in vacua venerunt) in eo, id quod virum doctissimum fugisse miror, *ut* ex notissima loquendi consuetudine in exemplo afferendo ponitur et ante relativum illud *qui* auditur: *eorum.*

[3]) Tursell. IV. 626. 527.

praepositioni insit, notio ad rem per enuntiationem expressam referenda sit, eam enuntiationem plerumque aut ab *ut* comparativo aut ab *quam* incipere. Itaque hae vel particulae vel loquendi formulae sunt conflatae: postquam, antequam, praequam, pro quam, contra quam, praeterquam, prout, praeut. Atqui *pro* quum multa alia significet, tum etiam ibi usurpatur, ubi aliquid cum aliqua re ut cum modulo convenire et ei respondere indicatur (pro viribus, pro numero); quam vim etiam in copulata particula *proinde* retineri jam antea vidimus. Sed si cum *ut* comparativo *pro* conflatum est, jam cum re per sententiam secundariam elata ea instituitur comparatio, ut pro ejus rei natura et condicione etiam aliam conformari declaretur. Quod si ita fit, eandem paene *prout* sibi vindicat significationem, quam in formula *proinde ut* inesse diximus, ut inter illud et hanc idem fere, quod inter *ita* — *ut* et simplex *ut* intercedat discrimen. Raro fit, ut plenior et integrior formula *pro eo ut* [4]) eandem vim recipiens ponatur. Cic. Verr. II. 3. 54. 126, *summa vi data est a me opera, ut aratores quam plurimum sererent, tamen pro eo ut temporum difficultas aratorumque penuria tulit. Prout*, quod ante Ciceronis tempora apud neminem scriptorem invenitur ac ne apud eum quidem et ceteros, qui eadem fuerunt aetate, saepe usurpatur [5]), Livio et argenteae aetatis scriptoribus valde est usitatum [6]). Liv. XXVIII. 5. 9, *pollicitus, prout tempus ac res sineret, omnibus laturum se auxilium.* Id. XXXVI. 52. 6, *cumulatius, si possit, prout ejus merita sint, senatum facturum.* Tac. Agr. 18, *non ignarus, prout prima cessissent, fore universa.* Haud raro aut utraque sententia aut alterutra, interposita disjunctiva conjunctione, quasi in duas partes dividitur; quod si fit, ipse modulus (i. e. ea res quacum quid congruere dicitur), ita variare et alias aliter comparatus exsistere indicatur, ut etiam ea res, cujus sit modulus, simili obnoxia exsistat mutationi. Quint. X. 2. 13, *non sua natura sunt bona aut mala, sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt.* Si additur *quisque* ea et moduli et rei varietas talis esse indicatur, ut in unaquaque vel persona vel re cernatur. Caes. b. Cic. III. 61. Cels. III. 1. Liv. XXVIII. 5. 9. *Scipio praefectos equitesque, prout cujusque opera fuerat, insignibus donis*

---

[4]) Cfr. pro eo ac, pro eo quod, pro eo quantum.

[5]) Sallustius quidem ea particula nusquam utitur.

[6]) Contenti sumus pauca afferre exempla, quibus tanta illa copia ab Handio congesta compleatur.

donat. Id. VIII. 21. 1. XXIV. 16. 8. XXX. 15. 13. Tac. Agr. 37. In enuntiatione primaria recentioris aetatis scriptores, ut convenientia illa rei cum modulo planius declaretur, *ita* haud raro interponunt Quint. V. 11. 16, aut *proinde* adjungunt. Id. IX. 4. 69 [7]).

Per *prae* cum ablativo junctum nemo ignorat, eam induci comparationem, qua quid cui rei aut praecedere aut certe praeferri indicetur. Id autem substantivum, quod praepositioni subjicitur, non modo viliorem (inferiorem) rem vel quae posthabeatur, sed etiam saepius eam designat, quae melior vel major putetur (prae nobis beatus, Romam prae Capua irrident). Apud comicos *prae* cum *ut* comparativo aut in unum verbum conflatum aut certe conjunctum judicii alicujus veritatem ita restringit et circumscribit, ut, quo adhibito modulo factum sit id judicium, declaret. In hac igitur comparatione alterum alteri semper indicatur praecedere. Qualis autem sit hujus conjunctionis vis, ita aptissime explicatur, si *praeut* idem atque *prae eo modo quo* significare statuitur. Plaut. Amph. I. 1. 218. Sos. *perii* Merc. *parum etiam, praeut futurum est praedicas* i. e. perisse te recte dicis tu quidem, sed parum tamen praedicas prae eo modo, quo res tibi eventura est. Id. Mil. I. 1. 20, *nihil hercle hoc quidemst praeut alia dicam* [8]) i. e. prae eo modo, quo alia dicam, vel (ut aliis utar verbis) alia tantis extollam laudibus, ut hoc, de quo jam dixi, prae iis nihil sit. Id Bacch. IV. 9. 5. Uno loco Plautino Merc. II. 4. 2, *nugas maximas fuisse credo praeut quo pacto ego diversus distrahor*, nisi fallor, *quo pacto* ita redundat, ut eo omisso sententia non commutetur.

Per particulam *ut* vel copulatam (prout) vel cum quibusdam aliis verbis conjunctam (proinde vel perinde ut; ut quisque — ita) judicandi modulum indicari demonstravimus. Sed quoniam *ut* etiam per se ad convenientiam duarum rerum declarandam adhibetur, nihil obstat, quominus res per comparativam sententiam elata pro eo modulo accipi possit, quo adhibito de altera

---

[7]) Apud Quint. IX. 4. 34. haud scio an ea lectio, quam Zumptius meliorum codicum auctoritate nisus recepit (proinde — prout) multo sit probabilior. Spaldingius habet: *perinde — prout.*

[8]) Handius orationem h. l. ita contractam putat, ut *praeut alia dicam* idem sit atque *praeut alia quae dicam.* At vereor ne relativum non facilius hic abesse possit quam apud Terent. in Eun. II. 3. 10. ludum jocumque dices fuisse alterum praeut hujus rabies quae dabit; quem locum Donatus recte sic explicat: praeut illa sunt, quae hujus rabies dabit

re fiat judicium. Ita *ut* etiam simplex neque copulatum neque cum iis de quibus dixi particulis conjunctum ad rei alicujus cum judicandi modulo congruentiam designandam usurpari potest. Atque primum quidem ab *ut* ea incipere potest comparatio, qua modulus, nulla subjecta restringendi vi, ipse per se cum re, cujus sit modulus, componatur, ut ex re altera alterius veritas pendere vel judicii de altera facti ratio in altera posita esse indicetur. Plaut. Capt. IV. 4. 13, *ut hic adornat, aut jam nihil est aut jam nihil erit.* Id. Ibid. IV. 2. 52. Asin. II. 3. 1. Ter. Heaut. I. 1. 116, *ut diei tempus est, tempust monere me hunc Phaniam, ad coenam ut veniat.* Id. Phorm. V. 2. 9, *hauscio hercle, ut homost, an mutet animum.* Id. Ad. III. 3. 36. Heaut. II. 4. 22, *ut patrem tuum vidi esse habitum, diu turbas dabit.* Cic. Lael. 12. 43, *quod quidem, ut res ire coepit, haud scio an aliquando futurum sit.* Fam. XIII. 69. 2, *ut ejus modestiam cognovi, gravis tibi in nulla re erit.* Att. VII. 4. 3. X. 12. 2. Varians et mutabilis modulus per *ut* simplex apud antiquiores raro, apud Quintilianum aliquanto saepius designatur. Ter. Hec. III. 3. 20, *omnibus nobis ut res dant sese, ita magni et humiles sumus.* Quint. XI. 3. 75, *quae, ut actus poposcerit, fingentur.* Id. XII. prooem. 4, *longius eundum est ut res feret.* Sed saepe usu venit, ut instituta comparatione judicium aliquod restringatur et certis terminis circumscribatur, id quod haud raro vel in integris sententiis comparativis et quibus verbum additum sit fieri videmus. Cic. Brut. 10. 39, *hi, ut populi Romani aetas est, senes, ut Atheniensium saecula numerantur, adolescentes debent videri.* Fam. IV. 9. 2, *non habet, ut nunc quidem est, id vitii res.* Liv. II. 50, *ex opulentissima, ut tum res erant, Etrusca civitate.* Id. X. 46, *insigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho.* In primis haec restringendi vis in formula illa cernitur: *ut* (alicujus) *captus est.* Ter. Ad. III. 4. 34, *praeterea, ut captus est servorum* (i. e. ut servus esse potest) *non malus.* Afran. 313. Ribb. Cic. Tusc. II. 27. 65. Caes. b. Gall. IV. 3. Sed inde a Ciceronis temporibus etiam saepius fieri solet, ut secundaria sententia decurtetur et ipsum verbum omittatur. Quod si fit, conjunctioni quae est *ut* nihil aliud fere subjungitur quam nomen quod aut subjecti vel objecti partes sustineat, aut ita in obliquo casu ponatur, ut praepositioni plerumque adnexum, quibus temporibus vel qua rerum condicione judicium aliquod sit verum, declarari possit. Jam si quaeritur, quod potissimum audiri soleat verbum, tantum non semper *posse* omissum

est [9]). Cic. Att. XI. 16, *ego, ut in his malis, Patris sum non invitus.* Id. Brut. 7. 27, *Clisthenem multum, ut illis temporibus, valuisse dicendo* (cfr. ibid. 26, 102. 28, 107. 47, 173. Liv. IV. 13. 1.) Cic. d. Or. III. 18. 66, *orationis genus, ut in oratore, exile.* Cat. M. 4. 12, *multae etiam, ut in homine Romano, litterae.* Fin. IV. 1. 1, *ista exposuisti, ut tam multa, memoriter, ut tam obscura, dilucide.* Brut. 10. 41, *Themistocles, ut apud nos, perantiquus, ut apud Athenienses, non ita sane vetus.* Fam. XII. 2. 2, *nonnihil, ut in tantis malis, est profectum.* Verr. Act. II. 1. 52. 138, *respondit illa, ut meretrix, non inhumaniter.* Cic. Ep. Brut. I. 10. 2, *hujus belli fortuna, ut in secundis, fluxa, ut in adversis, bona.* Sall. Jug. 107, *ea res, ut in tali negotio, probata.* Caes. b. Gall. VI. 34. *ut ejusmodi facultatibus, quantum diligentia provideri poterat, providebatur.* VIII. 21, *magnum, ut in tanta calamitate, Bellovacos ea proelio esse consecutos.* Nep. Epam. 5. 2, *habuit obtrectatorem Meneclidem, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum.* Liv. V. 41. 1, *satis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compositis.* Id. XXII. 34. 1, *perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montanos, populum.* Atqui etiam latius hic particulae usus patet, quo per eam rei cum judicandi modulo vel norma convenientia designatur. Saepe enim accidit, ut ille modulus, deposita restringendi vi, caussae notionem contineat, id quod vel in plenis et integris sententiis vel in decurtatis fieri potest. Prioris autem generis baec sunt exempla, in quibus omnibus fere cum universa et generali rei natura singularis condicio ita comparatur, ut hujus in illa causam contineri liqueat. Cic. in Pis. 25. 59. *Dices, ut es homo facetus.* Id. Rosc. Am. 12. 33. p. Mur. 25. 51. Tusc. I. 45. 108. Sall. Jug. 7. Cat. 31. Caes. b. Gall. VI. 7, *celeriter haec ad hostes deferuntur, ut ex magno Gallorum equitum numero nonnullos Gallicis rebus favere natura cogebat.* B. Civ. II. 8, *postea vero ut est omnium rerum magister usus, hominum adhibita sollertia inventum est.* Liv. III. 71. 5, *tribuni, ut fere semper re-*

---

[9]) Addito verbo quod est posse plena atque integra exstat sententia comparativa, Cic. Fam. I. 2. 4, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate retinebimus. Sed paullatim eo perducta est hominum loquendi consuetudo, ut ad primariae enuntiationis vim restringendam ea adponeretur sententia decurtata, in qua nullum omnino verbum audiri posset, praesertim quum per attractionem haud raram id ipsum nomen, cui subjecti partes tribui deberent, in obliquum casum abiisset.

guntur a multitudine magis quam regunt dedere plebi, ut Scaptius diceret. Id. XXI. 35, *iter multo quam in ascensu fuerat, ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt, difficilius fuit.* Saepius enuntiatio secundaria ita decurtata est, ut verbum aliquod (oportere, necesse esse, solere sim.) audiatur. Cic. Tusc. I. 8. 15. *Epicharmi acuti nec insulsi hominis, ut Siculi* [1]*, sententiam sequi.* Id. Ibid. I. 43. 104, *idem sentiens sed ut Cynicus asperius.* Off. III. 14. 58, *ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus*. Liv. XXIII. 8. 6, *convivium, ut in civitate diti ac luxuriosa, omnibus voluptatum illecebris instructum.* Id. IV. 7, *senatus, ut in trepidis rebus, dictatorem dici Mam. Aemilium jussit.* Tac. Agr. 11. *Britanniam qui initio incoluerint, ut inter barbaros, parum compertum.*

Non raro per decurtatam sententiam ab *ut* incipientem ea caussa affertur, qua quis alius ad aliquid faciendum se adductum profiteatur, et quae utrum vera sit an falsa, ipse is qui loquitur in incerto relinquat. Hic autem particulae usus tum maxime frequens est, qnum subjungitur participium [2]. Cic. Or. 44. 151, *vocum concursionem magna ex parte ut vitiosam fugit Demosthenes.* Hor. Od. III. 5. 42, *fertur pudicae conjugis osculum parvosque natos ut capitis minor a se removisse.* Id. Epist. I. 17. 40, *hic onus horret, ut parvis animis et parvo corpore majus.* Ovid. Met. IV. 547. Quint. XII. 10. 12, *quem suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidum et Asianum.* Sueton. Octav. 53, *domini appellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit.* Liv. XXIII. 43. 10, *populi Romani obterit ut senescentem cum viribus majestatem.* Id. III. 5. 1, *hostes carpere multifariam vires Romanas, ut non suffecturas ad omnia.* Id. XXXI. 42. 5. Tac. Agr. 14. *Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem adgressus.* Jam vero, quemadmodum cum particula Graecorum, quae est *ὡς*, genitivi quos vocant absoluti crebro componuntur, ita nonnusquam etiam cum *ut* duo ablativi absoluti reperiuntur conjuncti. Caes. b. Gall. III. 18, *laeti, ut explorata victoria, ad castra pergunt.* Id. b. Civ. II. 43.

---

[1]) Omisso verbo subjectum per attractionem, de qua supra dixi, in genitivum mutatum est. Cfr. exemplum paullo ante ex Nep. Epam. 5, allatum: Meneclidem exercitatum ut Thebanum.

[2]) Quam prope haec loquendi consuetudo ad eum Graeci sermonis usum accedat, quo ὡς cum participio jungi solet, vix opus est monere.

Ab hoc, de quo nunc diximus, particulae *ut* usu ea loquendi consuetudo non abhorret, qua per sententiam relativam particulae *ut* subjunctam talis rei descriptio adjicitur, qua caussae notio contineatur [3]. Inter omnes autem constat, posse relativam sententiam etiam per se, nulla addita particula, ad primariam eam habere rationem, ut per illam hujus caussa efferatur, id quod etiam adjuncto vel *utpote* vel *quippe* planius indicari soleat. Notissimum vero hoc quoque est, relativam sententiam, si hujus sit generis, per conjunctivum efferri, cujus quidem conjunctivi caussam facile liquet, sive additum sit *ut*, sive non additum, ex eo repetendum esse, quod per eam sententiam id denotatur, quod ex ipsius rei proprietate et singulari condicione efficiatur. Apud antiquiores scriptores ad rei causam designandam *ut qui* satis raro adhibetur. Apud comicos quidem, ubi haec loquendi formula eam significationem recipere videtur (Plaut. Pseud. I. 5. 153, non demutabo, ut quod ego pro certo sciam et Bacch. III. 4. 13, amo hercle opinor, ut quod pro certo sciam) ipsa lectio conjectura doctorum virorum potius quam codicum auctoritate nititur [4]. Neque apud Sallustium ea verborum conjunctio usquam exstat ac ne apud Ciceronem quidem nisi adposito determinativo pronomine, quod relativo respondet, ut Deiot. 5. 13, *venit evocatus ut is qui senatui parere didicisset* [5]. Similiter apud Caesarem in sententia primaria ante *ut qui* demonstrativum adverbium, quod est *sic*, ponitur. B. G. V. 31, *sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, ab homine amicissimo consilium datum, longissimo agmine maximisque impedimentis* [6]. Multo autem pluribus locis nec tamen saepe ante Livii tempora nullum demonstrativum aut particulae *ut* aut pronomini respondet. Caes. b. G. IV. 23. Liv. praef. 4, *res est immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur.* Id. XXXVIII. 18. 7. Vell.

---

[3]) Ab ejusmodi loquendi formulis ea exempla discernere oportet, in quibus aut in vera comparatione instituenda (Quint. XI. 2. 25) aut in exemplo afferendo (Cic. Off. I. 7. 21.) particulae *ut* relativa sententia per indicativum elata subjungitur.

[4]) Aliis locis, velut Plaut. Asin. III. 1. 2. Bacch. II. 3. 50. Capt. III. 4. 21, cet. *ut* consecutionem indicat et qui pro indefinito adverbio est accipiendum.

[5]) Cfr. ea quae proxima sunt: venit vel rogatus ut amicus, vel arcessitus ut socius. Apud Cic. N. D. II. 57. 143, qui locus non obscuro laborat mendo, num ferri possit lectio vulgata *ut qui,* valde est dubium.

[6]) Cfr. Ter. Andr. I. 1. 121, ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam neget daturum; quo loco patet, nullam exstare caussae notionem sed modum rei instituta comparatione definiri.

II. 33. Plin. Ep. V. 8. 4. Tac. Ann. IV. 62. Agr. 11, *plus ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit.* Suet. Tib. 7. Quint. III. 5. 9. V. 14. 28, cet.[7]): Quanta inter hanc loquendi formulam et eam sermonis consuetudinem, qua per *ut* cum adjectivo junctum ad caussam significandam aliqua rei descriptio addatur, convenientia atque necessitudo intercedat, ex iis maxime locis perspici potest, quibus post *ut* relativa sententia cum adjectivo connectitur. Velut Liv. I. 34, *facile persuadet, ut cupido honorum et cui Tarquinii materna tantum patria esset.*

Jam libet hoc potissimum loco brevem de particulae, quae est *utpote,* vi et usu instituere disputationem. Quae quidem particula quin ex comparativa conjunctione *ut* et neutro adjectivi, quod est *potis,* conflatum esset, nemo, quantum scio, unquam dubitavit[8]). Hujus autem adjectivi positivus, quum ab optimis solutae orationis scriptoribus, qui quidem exculta jam et perpolita lingua viguerint, nisi cum verbo substantivo copulatus atque in unius verbi quasi corpus (posse) coalescens nusquam paene usurpatus inveniatur, apud vetustissimum quemque suum saepe tenet locum suique est juris, ita tamen, ut verbum esse aut adponi aut certe audiri soleat. Et quum neutrius generis forma, quae est *pote,* frequentissime usurpetur, ita per indefinitum modum non personaliter posita, ut aut ei adnectatur aut audiatur verbum substantivum, tum huic ipsi formae principalem comparandi vim retinens *ut* nonnunquam praeponitur, ut ap. Varronem in loco ab Nonio allato: *viget, veget ut pote plurimum* (ut plurimum potest). Sed paullatim hae voces, per quas ipsas enuntiatio efferebatur, in unius verbi formam coaluerunt. Quod quidem verbum ad judicium aliquod definiendum ita adhibebatur, ut posse id judicium verum esse ex sequente alia vel integra vel decurtata sententia effici indicaret. Itaque *utpote,* quod idem fere declarat atque: ut res fert, ut in rei condicione posi-

---

[7]) In pronominis locum etiam adverbium nonnusquam substituitur. Liv. XLI. 2. 6. *(ut ubi).* Simili ratione etiam *quum,* quod a relativo pronomine originem traxit, cum *ut* conjungitur. Quint. X. 1. 76, sequitur oratorum ingens manus, ut quum decem simul Athenis una aetas tulerit.

[8]) Jam Priscianus in Inst. vol. II. p. 68. Hertz.: utpote inquit, compositum est ab adverbio et nomine. Quum haec jam scripsissem, Doederlinium animadverti particulae *utpote* originem ex formula *ut puta* satis apte repetere sibi visum esse. Cujus opinionis neminem, credo, habebit adstipulatorem.

tum est, cum ea rei descriptione jungi solet, ex qua verum esse judicium de ipsa re factum colligatur. Ea autem rei descriptio ex antiquorum loquendi usu post *utpote* per relativam sententiam semper effertur. Quemadmodum in sententiis ab *ut qui* incipientibus fieri jam vidimus, ita etiam cum *utpote qui*, ut ea quae afferatur descriptio, in ipsa rei proprietate posita esse indicetur, conjunctivus tantum non semper jungi solet [9]). Plaut. Rud. II. 5. 5. *satin nequam sum, utpote qui hodie amare inceperim.* Sall. Cat. 57, *neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui locis aequioribus expeditus sequeretur.* Catull. 64. 56, 67. 43. Pro pronomine relativo etiam *quum* conjunctio, quam constat initio relativam fuisse, substitui potest, ut ap. Asin. Poll. Cic. Fam. X. 32. 4, *nec retinuissem, si uno loco habuissem, utpote quum singulae cohortes seditionem fecerint.* Cic. Att. V. 8. 1. Cels. praef. p. 1. III. 1. Apul. Asclep. c. 8. Sed inde a Nepotis aetate etiam cum participio vel adjectivo, quae in relativam sententiam facile possint mutari, (praesertim apud Livium et Horatium) *utpote* jungitur. Quid, quod etiam ablativi absoluti huic particulae subjiciuntur. Nep. Hann. 2. Hor. Sat. I. 4. 24, *sunt quos genus hoc minime juvat, utpote plures culpari dignos* i. e. utpote quorum plures digni sint, qui culpentur. Id. Sat. I. 5. 94, *fessi utpote longum carpentes iter.* Cels. VII. 18. Liv. II. 33. 8, *clamor turbavit Volscos, utpote capta urbe* i. e. utpote quum urbs capta esset. Id. XXXVI. 45. 3. XXX. 10. 13. XXXVI. 24. 11. Restat, ut moneam hanc particulam minus, quam plerique suspicentur, fuisse usitatam. Nam apud Caesarem nusquam invenitur et apud argenteae aetatis scriptores pro ea *ut* (qui) usurpatur.

Sed ad simplicem particulam est redeundum. Jam quid ego dicam de pervulgato et noto particulae *ut* in rerum comparatione usu, quem attingere satis est, ne in rhetorum disciplinam aberrem et satis trita vel praecepta vel

---

[9]) Incertum est an nusquam apud optimos scriptores post *utpote qui* positus sit indicativus; namque et Cic. Phil. V. 11. 30. Orellius, complurium codicum auctoritate nisus, pro *depugnavit* quod alii habent *depugnarit* recepit et Att. II, 24. 4. Klotzius, Wesenbergium auctorem sequens, indicativum, quum codicum testimonio commendari videretur, ejiciendum esse statuit. Sed utrum Apulejus scriptor a prisca latini sermonis integritate longissime abhorrens in Asclep. cap. 6, cum *utpote qui* conjunctivum an indicativum junxerit, non est operae pretium exquirere. Hoc quidem verisimile est eum post *ut qui* non uno loco (Flor. IV. 9. Dogm. Plat. II. 23.) indicativum posuisse.

exempla quae rhetores de diversis similitudinum generibus disputantes afferre soleant, iisdem, quibus ii usi sint, verbis reddam [1]. Cum eo autem usu ea loquendi consuetudo non obscuro nexu continetur, qua per *ut* indicatur, non esse rem alteram alteri plane similem sed ad hujus similitudinem quodammodo accedere. Unde efficitur etiam, ut pro *quasi* in translationibus nonnunquam *ut* usurpetur. Varro L. L. VI. 56, *hunc Chrysippus negat loqui sed ut loqui.* Id. VII. 44, *capitibus habere solent ut metam.* Id. VIII. 45. Cic. Or. 67. 224. *quibus ut pugiunculis uti oportet.*

Jam etiam hoc monendum est, *ut* haud raro ita cum superlativo jungi, ut ad ejus vim augendam et cumulandam valeat. In qua verborum conjunctione *ut*, quamquam eodem fere modo, quo *quam* usurpatur, tamen, si accuratius in ejus vim inquiritur, non eam ipsam, quae per superlativum exprimitur, gradus, ut ajunt, notationem attingit, sed principalem illam modi significationem retinet. Quod quidem ex iis praecipue exemplis perspici licet, in quibus *ut* cum demonstrativo *(sic* vel *ita)* junctum invenitur, velut Cic. d. Or. II. 41. 174, *haec, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt.* Id. Fam. VII. 12. 2. Id. Ibid. XIII. 62. *Te temper sic colam et tuebor ut quem diligentissime.* Sed multo saepius fieri solet, ut nullum particulae *ut* adponatur demonstrativum. Duo autem, id quod ex locis jam allatis intelligitur, discernenda sunt hujus conjunctionis genera. Nam primum ab *ut* ea incipere potest sententia comparativa, in qua verbi quod est *posse* vis et ratio per superlativum adverbii accuratius definiatur. Quod ubi fit, ea ipsa ratione, qua actio primariae enuntiationis suscepta sit, ad summum illum, ad quem adscendi potuerit, gradum perventum esse indicatur. Plaut. Stich. I. 2. 88. Cic. Fam. V. 4. 9, *satis est a me, ut brevissime potuit, paullo ante dictum.* Id. Cluent. 26. 72, *appellat hominem Bulbus, ut blandissime potest.* Quint. XII. 10. 38. Ut in his locis sine magna sententiae commutatione pro *ut* particula quae est *quam,* substituere licet, ita non potest semper pro *quam* cum superlativo *ut* componi. Nam *ut* semper cum adverbii, nunquam cum adjectivi superlativo jungitur, id quod ex eo ipso efficitur, quod per *ut* modus actionis definiatur oportet, sed haec modi significatio tantummodo per adverbium efferri potest, non per adjectivum. Praeterea etiam hoc in earum conjunctionum

[1]) Vide, si tanti est, Auct. Herenn. IV. 45. 59. seq. Seyffertii Schol. Lat. I. §. 82. II. §. 36.

usu cernitur discrimen, quod verbum *posse* post *quam* saepissime, post *ut* rarissime omittitur [2]). Quamquam etiam post *ut* detracti verbi exemplum apud Quintilianum exstat IX. 3. 94, *prosapodosis ut maxime servetur* [3]). Alterius generis in eo consistit proprietas, ut relativa sententia, in quam inseratur superlativus, particulae *ut* subjiciatur. In hac autem sententia verbum saepe omittitur vel potius illi est cum primaria enuntiatione commune. Ea verborum conjunctio id spectat, ut rei per primariam elatae cum summo, qui per secundariam designetur, gradu ea instituatur comparatio, qua illam rem ad hunc ipsum gradum perductam esse indicetur [4]). Liv. V. 25, *grata ea res, ut quae maxime senatui unquam fuit.* Quint. III. 8. 12. IV. 5. 24. Pro relativa sententia nonnunquam per *quum* conjunctionem substituitur temporis notatio, in qua et ipsa verbum omittitur, sed ex primaria addi potest. Cat. Or. Rell. p. 9. Jord. *perge istuc quoque uti cum maxime delere.* Ter. Hec. I. 2. 40. Cic. Qu. fr. II. 4. 6 [5]).

Cum verbo substantivo particula *ut* nonnunquam ita conjungitur, ut sumptio vel aliena opinio de aliqua re et vera ejus rei natura, quum inter se comparentur, non inter se abhorrere indicentur. Pro simplici *ut* nonnunquam atque adeo satis saepe copulata particula *sicut* posita invenitur. In primaria

---

[2]) Nihil obstat, quominus, nullo adposito superlativo, *ut* et *posse* jungantur, quo facto, quamquam actionis modus et ratio minus accurate definiuntur, tamen, si quae in ampliore illa formula inest restringendi vis, ea etiam apertior fit et planior. Cic. d. Or. II. 84. 340, exposui fere, ut potui. Id. Cat. M. 3. 7.

[3]) Parum liquet, unde nata sit illa loquendi formula *ut plurimum,* quae apud Plinium invenitur. H. N. XV. 3. 4, nec tam numerosa differentia; tribus ut plurimum bonitatibus distat. Nam ut Handio (III. 474), pro *ut plurimum ponamus* per detractionem ita dici statuenti, adsentiri non audeo, ita ne id quidem pro certo affirmaverim, in hac verborum conjunctione per *ut* comparationem institui. Quid autem significet *ut plurimum,* non in obscuro est, quod quidem rectissime Madvigius (in Opusc. II. 149) idem atque *quum plurimum* declarare docet.

[4]) Conferri oportet notissimam loquendi consuetudinem, qua particulae, quae est *tam* subjungere solent *quam qui* cum superlativo. Cic. Fam. V. 2. 6. Tam sum amicus rei publicae quam qui maxime.

[5]) Apud Quintil. IV. 2. 116, omnes, ut opinor, sic edunt: narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia exornandam puto. At hic locus non obscuro laborat mendo. Neque enim usquam, nisi fallor, Latini, quum eandem rem duobus modis exprimere possent, ut aut ita dicerent: *ut qui maximus,* aut ita: *si ullus,* his loquendi formulis conflatis *ut si ullus* dixerunt. Qua re adductus *ut* ejiciendum esse suspicor.

enuntiatione aut alienam opinionem exponi per dicendi vel sentiendi verbum declaratur, aut ipsum eum, qui loquitur rem ita esse fingere, per particulas *quamvis* et *si* vel etiam per concessivum quem vocant conjunctivum significatur. Cic. Rep. III. 3. 4, *sint nobis isti magni homines, ut sunt.* Id. Ibid. VI. 19. 20. Verr. Act. II. 2. 38. 95, *res, ut erat acerba atque indigna, sic videbatur omnibus.* Id. d. Or. I. 53. 230. Liv. I. 45, *habita, ut erat, res prodigii loco.* Cic. Lig. 5. 13, *si in exsilio est, sicut est, quid amplius postulatis.* Liv. VII. 35. 10. Alia exempla Seyffertius congessit ad Cic. Lael. p. 160 (cfr. ejusd. Pal. Cic. 3. ed. pag. 46). Qui tamen, quum docet [6]), per ipsum verbum substantivum ita rem vere esse declarari, ut non possit ea veritatis notio, adjuncta ulla alia nisi asseveranti particula (sane, certe [7]), accuratius definiri, non attendit, apud Nepotem Eum. 1, etiam *re vera* poni: *apud nos, revera sicut sunt, mercenarii scribae existimantur.* In iis autem omnibus, quae attulimus, exemplis descriptionem rei per adjectivum vel substantivum elatam veram esse declaratur. Sed fieri potest etiam, ut actionem per verbum primariae sententiae elatam vere perfectam esse asseveretur. Quod si ad actionem asseveratio illa pertinet, jam non verbum substantivum aptum est et pro eo aut verbum primariae enuntiationis denuo ponitur aut aliud verbum, quod idem declaret, particulae *sicut* subjungitur. Cic. Off. III. 33. 117, quamvis multis locis dicat Epicurus, sicut dicit, fortiter de dolore. Id. Sull. 17. 49. Liv. XXV. 24. 4. Caes. b. Gall. V. 58, *quod fore, sicut accidit, videbat.*

Ab ea, de qua dixi, loquendi consuetudine is sermonis usus non ita longe disjunctus est, quo per sententiam comparativam ab *ut* incipientem, quae sit tum, quum actio suscipiatur, vel rei vel personae alicujus condicio et status, exprimitur. Qui quidem loquendi usus quamquam apud poetas maxime frequens est, tamen etiam cum iis, quas solutae orationis scriptoribus usitatas esse vidimus, sententiis comparativis, per quas vel rei vel personae nota aliqua affertur, non obscura necessitudine continetur, nisi quod in hac nota etiam

---

[6]) Das deutsche wirklich kann natürlich nicht ausgedrückt werden, da esse an sich das Verbum des realen Seins ist: höchstens kann eine Partikel der Versicherung hinzutreten, wie sane, certe.

[7]) Etiam profecto addere potuit. Nam cfr. Cic. N. D. II. 31. 78, necesse est, quum sint dii, si modo sunt, ut profecto sunt, animantes esse.

caussae notio inesse indicatur, per illum nihil aliud quam fortuitus rei status describitur. Ut, de quo loquendi genere hoc dictum velimus, planum fiat, pauca attulisse exempla satis erit. Virg. Aen. VII. 509, *quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis scindebat, rapta spirans immane securi.* Ovid. Met. II. 272. *Alma Tellus, ut erat circumdata ponto, sustulit oppressos collo tenus arida vultus.* VIII. 479. *ut manu dira lignum fatale tenebat, ante sepulcrales infelix adstitit aras.* Id. Ibid. VI. 237. XII. 22.

Etiam in sententiis interpositis *ut* frequentissime usurpatur, per quas sententias aut tota enuntiatio primaria aut singulae vel voces vel loquendi formulae definiuntur potius quam cum aliis comparantur. Hae enim sententiae vel ad judicium, quod in primaria enuntiatione exponitur, describendum valent [8]), quum cujus sit illud judicium, indicant, vel loquendi aliquam formulam aliunde adsumptam esse ita declarant, ut etiam, unde adsumpta sit, designetur. Itaque maxime in auctore citando hujus usus cernitur proprietas, sed etiam alias locum habet, quum ejus qui loquatur aut perceptione aut opinione judicium niti indicatur (ut videor, ut arbitror, ut spero cet.). Maxime autem usitatae hae formulae sunt: *ut ait, ut ajunt;* quarum utraque ibi haud raro usurpatur, ubi certus affertur judicii auctor, quod si fit, ejus nomen dicendi verbo postponitur (Afran. v. 7. Ribb. ut ait Pacuvius. Cic. Brut. 79. 274 [9]); sed haec (ut ajunt) multo saepius ad commune proverbium laudandum adhibetur, idque ita fere, ut iis quae afferantur vocibus interponatur. Cic. Lael. 5. 19, pingui, ut ajunt, Minerva. Quint. XII. 7. 9, caecis hoc, ut ajunt, clarum est. Rarius fit, ut formula illa postponatur Cic. d. Or. II. 89. 364, subsecivis operis, ut ajunt. Off. I. 31. 110.

Notissimum est particulam *ut,* quum ad universum rerum genus cum singulis rebus comparandum saepe adhibitum sit, etiam ad exemplum, quo judicium de universo genere expositum apertius fiat, afferendum usurpari potuisse. Qua in re inter Latinorum et nostrorum hominum loquendi usum hoc interest, quod, ut declarari possit, qui inter universum judicium et singulare exemplum

---

[8]) Quoniam his loquendi formulis etiam restringendi quaedam vis inest, si quidem per eas declaratur auctoritate alicujus et fide veritatem judicii niti, particulae *ut* interdum *quidem* adponitur. Plaut. Men. prol. 22, ut quidem ille dixit. Cic. Brut. 49. 185, ut quidem ego sentio (cfr. Quint. IX. 4. 18, ut ego quidem sentio). Cic. Fam. IV. 3. 3.

[9]) Ita tamen Turpil. 191. Ribb. ut philosophi ajunt.

intercedat nexus, illi relativa utuntur forma, nos demonstrativa (Så till exempel). Saepissime sententia ab ut incipiens, verbo, quod ex primaria adjici potest, omisso, decurtata exsistit. Cic. Off. I. 23. 79, *eorum consilio bella nonnunquam gesta sunt, ut M. Catonis bellum Punicum.* Id. Orat. 45. 154. Liv. II. 48. 6, *alia bella instabant, ut ab Aequis Volscisque.* Sed nonnunquam laxior et minus arta est exempli cum primaria sententia conjunctio, ut non hujus sententiae verbum, sed dicendi aliquod aut faciendi verbum audiatur [1]). Cic. d. Or. II. 59. 242, *est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet, ut idem Crassus: Per tuam nobilitatem.* Id. Off. III. 11. 46. Id. Div. II. 33. 72, *alia subito ex tempore conjectura explicantur, ut apud Homerum Calchas, qui ex passerum numero belli annos auguratus est.* Interdum etiam per plenam integramque sententiam et cui suum sit verbum, exemplum affertur, velut Cic. Fin. IV. 12. 29. Tusc. III. 10. 21. IV. 37. 79. Off. I. 18. 59. Maxime autem memorabilis ea loquendi consuetudo est, qua ad afferendum exemplum ex loquentis arbitrio fictum *ut* et *si* ita junguntur, ut aut in utraque sententia ponatur conjunctivus [2]), velut Cic. Off. I. 10. 32, *ut si constitueris — non sit contra officium non facere quod dixeris.* Id. Ibid. I. 40. 144. Quint. II. 4. 18. VII. 4. 2, aut quum protasis conjunctivum habeat sed apodosis verbo careat, quod in hac audiatur verbum, ex primaria sententia facile perspiciatur. Cic. Top. 15. 58, *alterum (genus est caussarum) quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit, ut si quis aes caussam statuae velit dicere.* Quint. IX. 2. 79. Ab hoc autem loquendi genere ea orationis forma non abhorret, qua Latini haud raro in refutando utuntur quum is qui loquitur, quam absurda sit adversarii sententia, ficto exemplo per *ut si* elato et ab ea sententia non alieno apertum reddere conatur. Cic. N. D. II. 33. 86, *mundus, qui reliquas naturas omnes earumque semina*

---

[1]) Conferri potest similis illa verbi in notissimis formulis omissio. Cic. N. D. II. 14. 37. Scite Chrysippus, omnia aliorum caussa esse generata. Id. Off. III. 11. 49, melius hi quam nos. Eadem omissio, quamvis in secundaria sententia dura sit, tamen etiam in auctore citando post *ut* locum habet. Cic. Acad. II. 39. 124, utrum animus sit ignis an anima an sanguis an, ut Xenocrates, numerus, nullo corpore. Id. Tusc. V. 17. 49.

[2]) In apodosi Cicero uno loco indicativum habet. Off. III. 29. 107, ut si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est; quo loco haud scio an judicium illud per se certissimum esse nec ab ulla omnino condicione ejus veritatem pendere declaretur.

contineat, qui potest ipse non natura administrari; ut si qui dentes et pubertatem natura dicat exsistere, ipsum autem hominem, cui ea exsistant non constare natura, non intelligat ea quae efferant aliquid ex sese, perfectiores habere naturas, quam ea, quae ex iis efferuntur. Alia exempla Madvigius ad Cic. Fin. p. 530, congessit.

Recentiores scriptores Latinos constat, ubi legentium animos in singularem aliquam rem mente informandam et fingendam intendi vellent, imperativum *puta* orationi inseruisse; quo factum est, ut ille imperativus adverbii munus paene recipiens ad fictum exemplum inducendum adhiberetur. Sed quoniam de universo hujus vocis usu Handius satis copiose disseruit, satis erit ad eam loquendi consuetudinem obiter attendisse, qua *puta* et *ut* ita juncta sunt, ut etiam planius fieret atque apertius exemplum ex ejus qui loquitur arbitrio fictum esse. Quae quidem consuetudo, ut in quotidiano hominum sermonis usu fortasse viguit, ita in politius atque limatius scriptorum dicendi genus satis sero irrepsisse nec iis unquam valde placuisse videtur. Nam primus omnium Auct. Herenn. II. 11. 16, *ut* cum *puta* junxit ac ne ibi quidem lectio satis est certa. Celso demum haec formula paullo est usitatior. Cels. praef. p. 8. Millig. *Saepe caussas apparere, ut puta lippitudinis, vulneris, neque ex his patere medicinam* V. 26. 21. VIII. 11. p. 436. Apud ceteros (Senecam, Columellam, Quintil., Priapei. auct., Ulpianum, Ammianum, Paulum p. 184. Müll.) singulos vix singula exstant exempla.

Per *si* particulae *ut* adjunctum ea comparatio suscipi potest, qua verus rei status cum eo in quo sub aliqua condicione esset, conferatur. Quam conjunctionem cave cum eo loquendi usu confundas, quo *ut* et *si* ad exemplum fingendum componuntur. Nam per illud loquendi genus germana instituitur rei verae et simplicis cum ficta et sumpta comparatio. Contra qui hac loquendi ratione utitur, nihil aliud agit nisi ut judicium de universo genere factum afferendo singulari exemplo et eo ficto atque conjuncte elato apertius reddat. Jam ut ad illud genus accuratius investigandum redeamus, sententia quae conjuncte efferenda erat et ex ficta condicione pendere debebat, quamquam in ea ipsa comparatio posita est, ita decurtari solet, ut verbum omittatur [3]).

---

[3]) Non decurtatae exemplum ab toto hoc genere fortasse alienum ap. Cic. d Or. I. 54. 231, exstat: ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, sic cet.